

WSM

 POCO · A · POCO 

GANG · FORWARD



I · AM · READY

*William Stirling Maxwell*


P M
G

Illustrium

# HOLLANDIAE

*&*

# VVESTFRISIAE


## ORDINVM

ALMA

## ACADEMIA LEIDENSIS

*Contenta proxima pagina docebit.*






LVGDVNI BATAVORVM.

Apud Iacobum Marci, & Iustum à Colster,
Bibliopolas.

ANNO. cIↄ. Iↄc. XIV.


Dr.
WA
Pr

# ALMA ET ILLVSTRIS
# ACADEMIA LEIDENSIS;

Id eſt,

## ICONES atque VITÆ;

*Illuſtriſſimorum Principum*

GVLIELMI, Principis Aurangiæ, Comitis à Naſſauw, &c.
primi Academiæ Fundatoris,

atque

MAVRITII, Principis Aurangiæ, Comitis à Naſſauw, &c.

*Summorum poſt Potentiſs. DD. Ordines Academiæ Epoptῶn:*

*Itemque eorum qui*

aut

*Cum auctoritate publica Academiæ huic feliciter unquam præfuerunt atq; etiamnum præſunt,*

Nobiliſs. vnâ cum Ampliſs. Coſs. Vrbis, Acad. Curatorum,

aut

*Profeſſorium per omnes Facultates Titulum in ea hactenus honorificè ſuſtinuerunt, atq; etiamnum adhuc cum laude ſuſtinent.*

*Additæ ſunt huic operi*

Academiæ, Horti Academici, Bibliothecæ, Theatri Anatomici,
ejuſque pompæ, qua ante annos XXXIX. ſolemni
die Academia in hanc Vrbem primum
introducta eſt,

DELINEATIONES ARTIFICIOSISSIMÆ;

æri omnes inciſæ;

*Nobilissimis & Amplissimis*
almæ & illustris
ACADEMIÆ LVGDVNO-BATAVÆ
# CVRATORIBVS,
eorundemque Secretario ac Consiliario
## D. D. NICOLAO ZEISTIO, IC.
& Vrbis Syndico dignissimo.

Nobilissimi atque Amplissimi Viri,



*Nnus jam agitur quadragesimus ex quo partim vos partimq; Prædecessores vestri, Viri omni memoria dignissimi, Academiæ huic Leidensi publica Illustr. DD. Ordd. auctoritate præfuistis, eamq; Illustriß. Principis Gulielmi Nassovij auspicijs olim erectam, prudentia admirabili, cura incredibili & successu prorsus stupendo gubernavistis. Prudentia vestra in eo potissimum elucescit, quod primum quidem saluberrimis legibus eam suffulcivistis; ab eo verò deinceps iugiter tempore, quæcunq; ad studia juventutis incitanda fœliciterq; promovenda pertinere aliquomodo judicavistis, hæc in ea omnia sanciveritis atque constitueritis. Studij vero vestri & flagrantissimi ad rem literariam promovendam affectus, inter alia argumentum maximum hoc est; quod cum aliâs negotijs ex causa Reip. gravissimis distineamini, tamen quater ad minimum*

*quotannis ad conventus ſuper rebus Academiæ celebrandos Lugdunum veſtrum excurratis: cognituri faciantne omnes probè officium quorum operam occupatis; benè de vobis atq; de Academia veſtra meritos merenteſq; præmijs proſequuturi; atque de ijs quibus Academia ad incrementum ſui ullo modo porrò indiget, conſilia communicaturi. Quæ quidem in re, ſicuti moleſtias multimodas minimè gravatim deglutitis; ita nullis etiam parcitis ſumptibus, quos utiliter impensum iri pro prudentia veſtra judicatis. Unde natum eſt, ut Batavica veſtra hæc Academia intra breviſſimi temporis orbem caput altiùs erexerit, quàm inde ab omni retrò memoria intra tempus multo longius, totius Europæ Academia ulla alia: & niſi nos fallunt auguria, ad multo adhuc maius faſtigium lapſu temporis enitetur, ſpectatiſſimæ veſtræ ἐπωψίας ſuffulta eadem præſidio. Obſervare hic licet (quidquid ceteroquin noſtra natio inſitâ quadam ſibi naturâ, alia adamet adire regna, alioſq; frequentare populos) quod numeroſiſſima tamen ſemper ex omni hominum ordine ſtudioſorum turba hanc Academiam inſideat: exteri verò etiam ex omnibus Orbis angulis ad eandem tanquam ad mercatum quendam maximo numero certatim confluant. Quotquot ſanè in hanc commigrant, vix ab ea rurſum avelli poſſunt; uſque adeo omnia ſuis hic neceſſitatibus pulchrè inſervire prædicant; neque me hercule injuriâ: Bibliotheca, quam inſtructiſſimam hic erexiſtis, publici promiſcuè uſus eſt. Hortus veſter Academicus omni ſtirpium genere conſitus, planeque amœniſſimus, voluptatem & utilitatem incredibilem paſſim quibuſlibet*

*con-*

*confert Amphites &c. Jn omni liberalium artium geneer διατριβαὶ publicè privatimque patent hic innumera: atque quod unum ad Academiam vestram commendandam sufficere posset, toties quoque die perq; totum annum hic legitur, ut credo in nulla totius Orbis Academia pluries atque frequentius. Lectionibus sisce intertexuntur exercitia disputationum publicarum privatarumq; ita crebra, ut vulgo studiosorum illos, qui plurimas Academias peragraverunt, audiamus dicere; hanc vestram Acad. in se complecti, quidquid est quo reliquæ simul omnes gaudent. Qui vero lectiones publicas vestro mandato hic obeunt; viri doctissimi, acutissimi, & in sua quisque facultate exercitatissimi sunt, magno delectu ex flore literatorū a vobis excerpti, & pro se digni quisque, quem florentissima Gymnasia undecunque valide ambiant.*

*Nimirum Nobiliss. atque Ampliss. viri, augustissimus hujus celeberrimi vestri Athenæi splendor, sed vero etiam tam exterorum quam indigenarum efflagitationes frequentes nos incitaverunt, ut partim, quænam omnino habeat vestra Acad. studiorum subsidia, publico hoc scripto declararemus; partimque pro nostro etiā ipsi modulo aliqua ex parte Acade. vestram illustraremus. Huic fini primum vultus vitasque exhibemus Illustriss. Principum Gulielmi atque Mauritij Nassoviorum, a quibus Rectores Acad. vestræ Magnifici quotannis creantur, & ipsa Academia quamplurimis beneficijs gloriosè decoratur. Mox vero Nobiliss. Viri etiam vitas & vultus vestros in proscenium hoc nostrum producimus, qui cura atque inspectione vestra Academiam hanc ex voto*

*bono-*

*bonorum omnium fœlicissime per annos jam multos gubernavistis, atque etiamnū summa cum laude gubernatis. Deinde verò vultus ad vivum delineatos vitasque etiam eorum omnium ordine subjungimus, qui inde a primo Academiæ vestræ ortu Professorium titulū in ea per singulas Facultates publicè sustinuerunt, atque etiamnum adhuc hodieque summo cum applausu sustinent. Tandem schema atque fabricam Academiæ hic proponimus, eorumque porrò Gymnasiorum, quæ bono publico studiorum sub vestri nominis patrocinio erecta hic sunt.*

*Rogamus vero vos, Nobiliss. atque Ampliss. Viri, ut tenuem hanc nostram opellam, quā cum sumptibus & laboribus nostris maximis vestrarum N N & A A. honori desudavimus; non tam pro merito suo, quam pro solito vestro in litteras affectu, alicujus æstimare quæsò non dedignemini; Deumque Opt. Max. interea precamur, ut vestris N N. & AA. prolixissimè de cœlo benedicat, vestrumque regimen in multos annos proroget & secundet, ad nominis sui gloriam & propagationem boni publici. Dat. in Urbe & Academia vestra Lugduno-Bat. x. Septemb. cIↃ. IↃC. XIV.*

Vestrarum NN. & A A.

devotissimi & humillimi clientes

IACOBVS MARCI

IVSTVS à COLSTER

*Bibliopolæ Leidensis.*




## FVNDATIO ET INAVGVRATIO *Academiæ Leidensis.*

CONDITA est celeberrima hęc Academia anno cIↃ. IↃ. LXXV. a GVLIELMO AVRIACO, magno Principe, & cujus in Belgium beneficia nulla ætas ignorabit. Obſeſſa anno præterito quàm arctiſsimè Leida, admirabili Dei inprimis miſericoidiâ, & ſingulari civium virtute ac conſtantia eſt ſervata.

Itaq; ejus rei ergo honorem novæ Academiæ decernere illi placuit, eaq; ineunte anno lętis auſpicijs inaugurata VI. Eid. Febr. Illo die, ut tam illuſtri novo operi benignus Deus adſpiraret, habita prius ſacra concio, ac cõceptæ publicæ preces in templo D. Petro ſacro. tum, quia armis parta libertas videbatur, iuſsi in armis eſſe cives, qui deſtinatos Profeſſores in Academiam armati introducerent, ijſdẽ quoque armis ſuis, contra vim hoſtilem porrò ſtrenuè illos defenſuri. Ecce omnem apparatum, & pompæ ordinem. E curia, quo convenerant, progreſsi, non uno per viam arcu triumphali poſito, in trophæi alicujus ſpeciem, ad Academiam proceſſere. Antecedebat in carrucâ vecta fœmina, ſimplici habitu, veſte candida, quæ *Sacram Scripturam* repræſentabat. circum carrucam pedibus ibant quatuor S. Euangelij ſcriptores, *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas*, & *Ioannes*. Tum *Juſtitia* ſequebatur, in monocerote incedens, egregio cultu, obligatis faſciâ oculis, vnaque manu ſtrictum gladium, altera bilancem tenens. Hanc ſtipabant equis vecti quatuor ſummi Iureconſulti, *Julianus*, *Papinianus*, *Vlpianus*, & *Trebonianus*; quibus ad latus ſatellites totidem, & à pedibus pueri duo. Poſt hos *Medicina* erat, & ipſa equitans ac manu librum herbaſque

geſtans,

geſtans, media inter antiſtites quatuor præſtantiſsimos, *Hippocratem*, *Galenum*, *Dioſcoridem*, & *Theophraſtum.* ac his quoque dati ſatellites totidē, puerique à pedibus duo. Tum armata *Pallas* ſequebatur, dextra haſtam, læva clypeum ſuum tenebat, in quo Meduſę caput expreſſum. Vtrūque latus maximi etiam viri claudebant, Philoſophorum omnium principes *Plato* ille, & *Ariſtoteles*; deinde Oratorum primus *Cicero*, ac Poëtarum *Virgilius.* hos itidem ſatellites tuebantur, & à pedibus pueri totidem. Inde flatores, & tibicines publici ibant læto cantu omnia implentes. hoſque accenſi urbis quatuor ſequebantur, virgam ſinguli manu geſtantes albo colore diſtinctam. Poſt hos anteambulones Profeſſores denique veniebant. Primus erat *Caſparus Coelbaeſius* pro tempore S. Theologiam profeſſurus, cui latus dextrum claudebat AVRIACI iuſſu, cujus perſonam in hac ſolenni dedicatione repręſentabat vir nobiliſsimus, *Gerardus VVingardus I C.* & Hollandię curię Senator. ad læuum incedere *Jacobus Douſa*, ex primariâ etiam Provinciæ nobilitate, Rhenolandiæ aggerum curator, & AVRIACO à conſilijs, vrbiſq; Leidenſis ſummus præfectus. Hos vir nobilis ſequebatur *Theoderus Niuburgius*, *I C.* & Provincialis quoque

curię Senator, Iurisprudentiæ profeſsionem inchoaturus; & medium illum deducebant è præcipuâ nobilitate *Ianus Douſa* Nordovicus, atque *Arturus Brederodius*; ille famâ admodum illuſtri, & Rhenolandię aggerum curator, vrbiſq; etiam prępfectus; hic in curia Provinciæ Hollandiæ conſiliarius. Collegam Nieuburgium *Justus Menenius* ſequebatur, Senator quoque, & Fiſci patronus, itidem Ius prælecturus. hunc deducebant nobili vir proſapiâ natus *Arnoldus Duvenvordius*, & *Feudo Brouchovius* Rhenolandiæ prætor, aggerumque curandorum præfectus. Proximus illis *Petrus Forestus* Medicinæ Profeſſor futurus, medius inter Coſs. vrbanos duos *Nicolaum Heemſkerckium*, & *Theodorum Montfortium*. Inde *Laurentius Orſchotus* ibat, communem cum *Foreſto* operam ſtudioſis Medicinæ daturus, cui a latere dextro conſul *Gulielmus Löus*, à ſiniſtro *Cornelius Adrianus Barreveltius*, ſenator. Poſt hunc *Gerardus Bontius*, Medicinæ Doctor, qui Mathematicen doceret, quem *Cornelius Hugo Thorenvlietius*, & *Petrus Henricus VVaſſenarius*, ſenatores ambo, comitabantur. Tunc *Cornelius Grotius*, *JC*. & libellorum ſupplicum magiſter, Philoſophiam inſtauraturus; eumque *Petrus Omius*, ac *Petrus Georgius*, item Senatores, medium ducebant. Hos novæ

Acade-

Academiæ Profeſſores honoris cauſa reliquus Magiſtratus ſequebatur, & magna omnis ordinis multitudo. Totum agmen inter quatuor ſigna medium; è quibus duo in fronte præcedebant, duo tergum tuebantur. In foſſâ illâ, cui Academia adjacet, quæque vulgo Rapenburgum dicitur, navis erat, rubro alboque panno amicta, vario deſuper tapete tecta: & è tholo corona laurea, pomis Medicis variegata, dependebat. In hâc Apollo vehebatur, novemque Muſæ; ad clauum autem Neptunus ſtabat, qui liberatâ per maris ſui vndas vrbe, Academiam navigio introducere velle videbatur. Apollo teſtudinem manu tenens fides percutiebat, Muſæ ſuaviſona voce accinebant. mox verò, cum Profeſſores novi advenirent, in terram exſcendentes, ſingulos poſt amplexum & oſcula, oratione adſtricta Latina compellantes adventum ſunt gratulati. Tum Academiam introgreſsi, in frequentiſsima Auditorum corona, *Caſparus Coolhaeſius* de S S. Theologiæ laudibus præfatus, laboris Muſici anteſignanus lectiones inchoavit. Id dum fit, per præcipuas vrbis plateas cives, qui in armis, ambulare, & exploſa omnis generis bellica tormenta lætitiam publicam teſtabantur. Ad extremum, cum peracta

ritè omnia, in domo Naeldwicenâ epulum magnificum Magiſtratus vrbanus dedit, dieſque inter feſtos poſitus. Ab iſtis initijs ad hoc Famæ faſtigium venit, nulli hodie, quotquot exſtant, nominis celebritate inferior. Vivat porro, vigeat, ac florat quamdiu gratum orbi terrarum Muſarum nomen.



# IANI DOVSÆ
# EPIGRAMMATVM
## EXTEMPORALIVM SYLVA,

Ad Lugdunum nostram pertinens, & scriptorum quorundam in omni disciplinarum genere elogia continens, eorum præsertim, quorum personæ adscriptis nominibus An. cIↃ. IↃ. LXXV. VI. Id. Februar. qui primus Academiæ institutæ dies fuit, ab IOANNE HAVTENO, eidem vrbis à Secretis, in forum productæ, Populoque repræsentatæ fuerunt.

Neptnnus ad Musas.

*QVid Musis cum Marte? nihil: confidite Divæ;*
*Ille abijt, vobis possit ut esse locus.*

Musæ ad Neptunum.

*Laus Neptune tibi, obsidio quod solueris vrbem,*
*Tam comi quæ nos excipit hospitio.*

Apollo ad Artes, sive Humanitatis studia.

*Docta satis Martem vrbs, Artes nunc discere: remque*
*Vobiscum & mecum postulat esse sibi.*

Artes, sive Humanitatis studia ad Apollinem.

*Connubio junctas stabili, propriasque dicatas*
*Phœbe Pater, præsto nos tibi semper habe.*

Saluius Iulianus ad Iustitiam.

*Lovanium fructu nos tantum accepit & vsu,*
*Hîc etiam nexu me juvat esse tuum.*

Nec

Responſum Iuſtitiæ.

*Nec fructu Grudij nos accepere, nec vſu:*
*Namque Papam, non me nunc locus ille colit.*

Ad eundem Saluium Iulianum.

*Care Pio, ac Divis gratiſſime fratribus olim,*
*Non ingratus eris nunc quoque Cattigenis.*

Ad Æmilium Papinianum.

*Tu quoque Septimij iuſtiſſima cura Severi*
*Huc ades. omnis abeſt hoc Caracalla loco.*

Ad Eundem.

*Et ſedem, & Dominum mutes melioribus hortor,*
*Lugduno Romam, Septimium Auraïco.*

Ad Domitium Vlpianum.

*Tutor Alexandro Domiti, & conſultor eidem*
*Huc ades: & Baldos, barbariemque doma.*

Ad Caium.

*Æmilius Latio Iuris ſit dictus Aſylum,*
*At Legum nobis tu Coriphæus eris.*

Ad Sextum Pomponium.

*In pretio quondam Romæ qui Sexte fuiſti,*
*Nunc quoque Lugduni non inhonorus eris.*

Ad Hippocratem Coüm.

*Huc ades Hippocrates Medicorum gloria Coë,*
*En vocat ad partes te Medicina ſuas.*

Ad Galenum.

*Tu quoque Lugdunum venias curare Galene,*
*Affectam bello, pestilitate, fame.*

Ad Theophrastum.

*Hunc etiam in numerum adscribi Theophraste mereris,*
*Plantarum cui vis cognita tota fuit.*

Ad Cornelium Celsum.

*Facta vrbana tuo res rustica munere scriptis*
*Nec minus illustris est Medicina tuis.*
*Hinc quoque militiæ tractasti commoda Rhetor.*
*Hoc Martem Musis jungere Celse fuit.*

## ACADEMIA LVGDVNENSIS AD ÆMILIVM MACRVM.

*Hîc etiam volucres tecum meditere licebit,*
*Quæque nocet serpens, quæ juvat herba Macer.*
*Ergo age, sed propera licet ævo grandior, & quæ*
*Nasoni quondem, nunc lege Cattigenis.*

Ad eundem.

*Macte Macer, semperque tibi ver floreat, herbas*
*Tam bene cui verbis jungere cura fuit.*

Ad Sammonicum Serenum.

*In medicis medicus, vatesque in vatibus idem.*
*Esse duorum hominum quod solet, vnus habes.*

 *ergo*

*Ergo ades & fœlix nostris quoque civibus adsis:*
*Et vatem dici te patere, & Medicum.*
*At Baias metuis, funestaque balnea: fors &*
*Nunc quoque suspectus est Caracalla tibi.*
*Quod metuas non est, Caracallas vicimus omnes,*
*Romanasque minas, Hesperiumque jugum.*
*Quique adeo prior Caracallis omnibus unus,*
*Omnibus & Baijs sævior Alba fuit.*

Ad Theophrastum Paracelsum.

*Tu quoque ades nostro non inficiande Lycæo,*
*Nec medicus, verum magnus Apollo mihi.*

Ad Platonem.

*Salve Socratici notissima fama Lycæi*
*Die Plato, magni doctor Aristotelis,*

Ad Aristotelem.

*Fide poli interpres, naturæque æmule, & idem*
*Digne tuo salve nomine Aristoteles.*

In Laudem Homeri.

*Magnus Aristoteles, major Plato, maximæ Athenæ*
*Omnibus at major magnus Homerus erit.*

Ad Vergilium.

*Ilium in Italiam portasti Andine poëta,*
*In Batavos transfer nunc precor Italiam.*

Ad eundem.

*Parthenopen Leida mutes Maro: vicit Iberos*
*Ista, quibus servit nunc quoque Parthenope.*

Lugdu-

Ad Ciceronem.

*Lugdunum venias Tulli, aut famulere necesse est.*
*Maranum patitur Belga, Italusque iugum.*

Minerva Lugdunensis.

*Hactenus arma mihi curæ, obsidioque fuerunt,*
*Nunc mutare bonis artibus arma paro.*

In Lugdunensem Minervam.

*Arma virûm, & pugnas studijs obstare Minervæ,*
*Qui putat, in nostra non meret urbe locum.*

*Hæc Delo, & timidis placeant commenta: Batavos*
*Lugduni & Musas, Pallas & arma docet.*

Ad novam Acadamiam Lugdunensem.

*Quantum Delo amni Rhenus præstare videtur,*
*Tantum Leida tibi cedere Lovanium.*

Ad Eandem.

*Cedat Louanium, cedat tibi Leida Duäcum*
*Armis, justitia, relligione, fide.*



# PRINCEPS AVRIACVS FVNDATOR ACAD. LEIDENSIS.




PRIN-

# PRINCEPS AVRIACVS

## FVNDATOR ACAD. LEIDENSIS.



Atus est WILHELMVS NASSOVIVS Arausionis Princeps, Dillenburgi in Comitatu Nassoviæ, anno Christi cIↄ. Iↄ. XXXIII, IV Aprilis. Vxores habuit quatuor. quarum primam *Annam Egmondanam*, Maximiliani Egmondani Comitis Burani filiam unicam duxit anno M. D. L, IV Eid. Iun. Ex quâ nati *Maria*, *&* *Carolus Gulielmus Nassovius*, Comes Buræ, &c. Anna hac M. D. LVIII anno IX Kal. April. defunctâ, duxit cognominem aliam Mauritij Electoris Saxoniæ filiam, celebratis nuptijs Spiræ in quinque millium equitum frequentiâ, &c. Ex hoc connubio natus Dillenburgi in arce, anno M.D.LXVII, XIII Novembris, MAVRITIVS NASSOVIVS, Princeps magnanimus, &c. præterea filiæ *Anna* & *Æmylia*. Saxonicâ hac Annâ Dresdæ extinctâ anno M. D. LXXVII, tertiam duxit Carolam Ludovici Ducis Monpenseriani filiam, ex quâ sex ei natæ filiæ; videlicet, *Loysa Iuliana*, *Elisabetha*, *Catharina Belgica*,

*Flandrina, Caroletta Brabantina*, & *Æmylia secunda*. Quarum matre Gallâ anno MDLXXXII. Antwerpiæ mortuâ, quartam & ultimam, adhuc superstitem, duxit Ludovicam, Casparis Comitis Colignij filiam: ex quâ natus posthumus patre nefandissimo scelere perempto HENRICVS FRIDERICVS, Princeps Aur. &c. De vita porrò, magnanimi hujus Principis, & præclarissimis ejus facinoribus, gloriosissimis victorijs, gravissimis sollicitudinibus atque curis, maximis denique discriminibus & periculis, in quæ se pro Belgij salute intulit, nihil præstat, quàm pauca dicere. Obijt Delphis Batavorum anno cIↃ. IↃ. LXXXIV. sexto Idus Iulij à monstro quodam hominis non nominando, crudelissimi Iberi auctoritate & suasu, immaniter trajectus: suique non Academiæ tantum, quæ Auctorem eum agnoscebat suum ac Patronum; sed & toti Reip. quæ libertatis suæ vindicem, ingens reliquit desiderium.

MAVRITIVS de NASSAV,
TVTOR ET PROTECTOR.
ACAD. LEIDENSIS.



MAURITIUS DE NASSAU TUTOR ET
RROTECTOR ACAD. LEIDENSIS.

MAV-

# MAVRITIVS de NASSAV,

## TVTOR ET PROTECTOR ACAD. LEIDENSIS.



AVRITIVS D. G. Principatui Arausionis natus, Comes Nassoviæ, Catimelibocі, Viandæ, Dietzi, Meursæ, &c. Marchio Veræ, Flissingæ, &c. Dominus Polanę, Leckæ, Graviæ, Cuyckij, S. Viti, Doesburgi, &c. Garterij Ordinis Eques, &c. Gubernator Præfectusq; generalis Gelriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, West-Frisiæ, Trajecti, Transisulaniæ, &c. earundemque Provinciarum nomine summus terrâ mariq́ue Imperator. Natus, ut supra indicavimus, anno M. D. LXVII. Hic Illustrissimus Princeps anno M. D. XC, mense Februario, communibus Nobilissimorum Ordinum suffragijs in victoriosissimi patris sui P. M. locum est substitutus, & generalis provinciarum in Belgio unitarum

rum factus Gubernator. Cui dignitati quâ gloriâ hactenus præfuerit, & hujus loci non est multis commemorare, & universo orbi longè est notissimum. Consilia ac facinora ejus præclara, victorias & triumphos, nulla unquam delebit oblivio. Faxit Principum Princeps ut Heros hic incomparabilis, & Vnitorum Belgarum Fortissimus Assertor Reip. suæ diu vivat incolumis, & Academiam Paternam, ut hactenus fecit, multos adhuc annos fideliter promoveat, tueatur, & conservet.






IANVS

# IANVS DOVSA P.



IANVS DOVSA NORDOVIX nobilisſimâ Hollandiæ familiâ natus admodum infans parentibus orbatus, Lyram Brabantię oppidum, ſtudiorum causâ amandatus eſt, primaq; ejus rudimenta fuerunt ſub Ioanne Fabro: inde Delphos mox tranſlatus Henricum Iunium Præceptorem habuit, cujus celebris tunc temporis ſchola. Huic cum annum vnum operam dediſſet Lovanium conceſsit, & mox inde Duacum, vbi inſigni Lucæ Fruterij ingenio captus, ſtudiorum eum ſocium ac comitem aſcivit, Lutetiam cum eo profectus, nobilisſimum ſcientiarū omnium emporium. Vnde in patriam accerſitus mox eò redijt, ſummorum illic virorū famâ ac claritate adductus, à quibus viciſsim propter excellentes ingenij dotes amabatur æſtimabaturque. Inde domum iterum reverſum, ductâq; uxore, juvenem etiam tum ſibi Reſpublica vindicavit, atque in ſupremum aggerum curandorum, fluminumque retandorum, Collegium cooptavit; quo munere totos viginti annos functus ſponte ſe abdicavit.

In memorabili illâ Lugduni obſidione magnum animi robur oſtendit, ita illuſtriſsimo Principi Auriaco probatus, ut tam graviter adflicto patriæ ſtatu præfectura Vrbis nemini rectius committenda crederetur. Hanc ubi cum laude obijſſet, liberata mox vrbe, cum Academiam inſtituere illis decretum eſſet, nullum Principi Ordinibuſque tantæ rei auſpicatius nomen viſum eſt quàm IANI DOVSÆ, cui & bellica fortitudine, & eruditionis gloria parem alterum Reſp. non habebat. Multiplex erat in viro lectio, incredibilis penè memoria. Græcarum ac Latinarum literarum; Hiſtoriæ veteris ac novæ nihil de quo rogatus non ex tempore reſponderet. Vnus ille, quod de Longino ait Eunapius, erat βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. Vnus ille Bataviæ Varro, & Academiæ commune oraculum. Et cum hac quidem Doctrina tam eximia cæteræ etiam virtutes certabant, Comitas, Candor, Vrbanitas, ac Modeſtia. Ob quas non Batavis modò, aut Belgis, ſed & Gallis reliquis & Germanis, Anglis, Italis, Bohemis, Polonis, atque adeò ipſis in Turcia Græcis Europęis pariter atque Aſiaticis in honore ac pretio habitus fuit, æſtimantibus magni viri merita etiam tam longè diſsitis gentibus. Geſsit autem hanc Aca-

demiam

demiæ curam annos XXIX. Quo medio tempore cum ad patriæ annales conſcribendos animum adjunxiſſet, Archivorum item publicorum cuſtodiam in ſe ſuſcepit. Deinde in ſupremæ quoque Curiæ Senatum adſcriptus, XIII eo in munere annis laudabiliter exactis, ad plures abijt, anno Chriſti M D C IV. ętatis ſuę L I X.

## Epitaphium.

*SIſtas Viator: Douſici Manes rogant*
*Tempus exiguum, moramque parvam:*
*Quem terra novit, Troicique pallida*
*Mater Memnonis, integerque Phœbus*
*Quique emerentem ſurripit terræ diem.*
*Non iſti gemituſque tibiæque*
*Inane murmur ſordidamque næniam*
*Mendicant cineres vagumque leſsum,*
*Fractique raucos æneatoris modos;*
*Sed plenas tibi lachrimas remittunt.*
*Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,*
*Unius ſcelus eſt ciere voce.*

# IANVS DOVSA P.

## Scripta ab eo edita hæc sunt.

*Epigrammatum, Satyrarum, Elegiarum, Sylvarum libri.*
*Nova Poemata Lugdunensia.*
*Notæ ad Sallustium.*
*Epodon liber ex puris Iambis.*
*Odæ Britannicæ.*
*Elegiarum & Epigrammatum liber.*
*Præcidanea ad Petronium Arbitrum.*
*Centurionatus ad Plautum.*
*Præcidanea ad Catullum.*
*Præcidanea ad Tibullum.*
*Schediasma Succidaneum ad eundem.*
*Commentariolus in Q. Horatium.*
*Appendix Succidanea ad eundem.*
*Epistolæ Apologeticæ duæ; vna de Annalibus Bataviæ, altera pro prætore Nortwiceno peregrinitatis reo.*
*Annales Hollandiæ carmine.*
*Iidem prosâ Oratione à filio incepti vsque ad Didericum IV.*
*Echo, sive Halcedonia, cum novis Epigrammatis, & Elegijs.*

## Procuravit ut ederentur ab alijs scripta.

*Batavia H. Iunij.*
*Inscriptiones Antiquæ Smetij.*
*Lucæ Fruterij Opuscula.*

## Confecta partim, partim adfecta, nec edita reliquit.

*Præcidanea in Iuvenalem.*
*Volumina aliquot Epistolarum.*
*Fragmenta omnia veterum Oratorum, Poetarum, Historicorum.*

COR-

# CORNELIVS CONINCK



# CORNELIVS CONINCK.

CORNELIVS CONINCK à Bloys I Ctus natus est Dordraci primaria Hollandiæ vrbe. Tumultu belgico pro communis patriæ libertate præclaram operam navavit. In Republicâ Delphẽsi consul creatus, atque in consessu Dominorum, Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque delegatus; ad pacis Gandavensis tractatum Guilielmo Magno Principi Auraico, Ducis Alenconij Directori & Consiliario intimo, collega datus fuit. Deinde cum Illustrissimus Princeps Amplissimorum Hollandiæ, West-Frisiæque Ordinum Auspicijs, novum Hagæ-Comitis instituisset Senatum, qui auctoritate pari cum Senatu Magno Mechliniensi jus de causis controversis diceret, Prætoriumque Principis referret, primus in Senatum adscriptus. Ac postremum Academiæ Lugdunensis Curator electus est. Tandem his dignitatibus laudabiliter usus diem obijt Hagæ-Comitis XXVI Decemb. Anno cIↃ. IↃ. LXXXII. ibique honorifice sepulchro illatus.

ABRAHAMVS ALMONDIVS.



ABRAHAMUS AB ALMONDE
CURATOR ACAD. LEIDENSIS.

# ABRAH. ALMONDIVS.



BRAHAMVS ALMONDIVS ex veteri Almondiorum ſtirpe oriundus, natus eſt in arce paterna Altenaco, a nimia Delforum vrbis vicinia ita dicto, Kalendis Februar. cIɔ. cI. xxxIII. Generis ſui ortũ ducit a filio minore natu Domini de Strijen circa annum cIɔ. ccc. id quod inſignia ejus familiæ arguunt. Patrem habuit Ioannem Almondium, matrem Petronellam ex nobili Werviorum familia. Avus ejus paternus Iacobus Almondius Curiæ Hollandiæ præſes fuit. Adoleſcens bonis literis operam dedit. Poſtea ad munera publica vocatus ſummos honores geſsit, Conſulatum Delphis aliquoties, nec non Hiemradiatum agri Delfenſis. Mox & Aſſeſſor factus eſt collegij DD. Ordinum Hollandiæ, deinde præfecturæ rerum nauticarum Roterodami. Interea & Curatoria Academiæ Lugdunẽſis dignitate functus eſt. Vir fuit verè candidus & Batavicâ morum ſimplicitate multum commendabilis. Obijt III Idus Ianuarij cIɔ. Iɔ. xcIII.

PAV-

PAVLVS BVSIVS.



PAULUS BUISIUS CURATOR ACADEMIA LEIDENSIS.

# PAVLVS BVSIVS.



AVLVS BVSIVS Dominus in Sevenhoven & Cappel, natus Amersſfurti anno cIↄ.Iↄ. XXXI. In Academia Dolana literis operam navavit cum Domino in Toloufe (Allegondij fratre natu maximo) nec non Domino in Mathenes, & Regnero Cant Consule olim Amſteldamenſi. Doctoris titulum in Academia Andegavenſi acquiſivit 2do Ianuarij anno cIↄ. Iↄ. LVI. Iuramentum, quod ab Advocatis Curiæ Hollandiæ præſtari ſolet, Domino in Aſſendelft, Heemſkerck, &c. Equiti Senatori & præſidi primario præſtitit Hagæ Comitis 3tio Novembris, anno cIↄ. Iↄ. LVII. Poſtea anno cIↄ. Iↄ. LXI vrbis Leydenſis Syndicus factus eſt, & deinde deputatus una cum Dominis in Kenenburch, Poelgeeſt, & Mathenes nomine Illuſtriſsimorum D. Ordinum Hollandiæ in Collegio D. Ordinum generalium Bruxellę apud Duciſſam de Parma, ſicut & apud Ducem de Alba. Medio itidem tempore in motibus & inteſtino bello anno cIↄ. Iↄ. LXXII aut cIↄ. Iↄ. LXXIII. Senator, & Advocatus Hollandię, Cuſtos magni Sigilli,

Sigilli, & illuſtriſsimi Principis Auraici pię memorię Conſiliarius datus & delectus præſes loco principis tam in conſeſſu D. Hollandiæ & Zelandię Ordinum quam in Senatu Provinciali Legationem nomine Principis & D. Ordinum pro pacificatione Gandavenſi & Bredana ſuſcepit. Naſcentis Academiæ Lugduno-Batavæ cum Domino Nordovikio ſecundus Curator electus: quo munere fungens vitam cum morte commutavit. Anno cIↄ. Iↄ. LXXVI. aut cIↄ. Iↄ. LXXVII Chomarchus una cum nupere defunctis Dominis in Warmont & Poelgeeſt in locum Domini in Lockhorſt, qui renuntiarat, ſubſtitutus eſt: quam itidem ſuſtinens Provinciam ad ſuperos ivit. Senatoris & Advocati Curiæ Provincialis munus cum ſuſtinuiſſet ad annum cIↄ. Iↄ. LXXXIV, a nobilibus & potentibus D. Ordinibus oneris iſtius remiſsionem honorifice petijt & obtinuit. Legationem quoque in Angliam ad Eliſabetham Reginam tam illuſtrium D. Ordinum quam Principis nomine ter obivit cum D. Allegondio, Nordovikio, Barneveldio. Quo tempore ordinem equeſtris dignitatis ipſi cum Nordovikio & Ortelio a Regina oblatum magna cum gratiarum actione recuſavit. Poſtremo cũ Comes Lyceſtriæ nomine Reginæ Angliæ

 harum

harum provinciarum gubernationem ſuſcepiſſet, Collega in Conſilio Ordinum erecto, nominatus eſt. Natus annos LXIII e vivis diſceſsit, Deoque animam reddidit in prædio ſuo *ten Vliet* in Capell in Provincia Traiectina menſe Aprili anno cIↃ. IↃ. XCIV. Sepultus in templo Sevenhoviano.



# IOHANNES BANCHEMIVS.



# IOHAN. BANCHEMIVS.



OHANNEM BANCHEMIVM anno cIↄ. Iↄ. XL. mater eruditionis Leida edidit. tunc quidem minus nota, ſed quam tamen immortalitati literarum jam tum fata deſtinabāt. quarum ille antiſtitem in vrbe patria daturus erat. Atque a parentibus quidem in eadem vrbe loco atque ordine honeſtiſſimis, primo Vltrajectum miſſus eſt, vbi Macropedio, non ignoto a ſcriptis viro, & ut tum ferebant tempora, in primis erudito, operam dedit: Vltrajecto Lovanium ſe contulit, in qua juris ſcientia impenſe tum florere putabatur. In hac, ut diſcendi indefeſſus erat, cum progreſſus feciſſet haud pœnitēdos, in Galliam profectus, quod ſummum in ea ſolet eſſe præmium, eo donatus eſt: cui Andegavum delegit. Ita in patriam reverſus, foro ſe mature conſecravit. quo natura & præclaro animi inſtinctu totus ferebatur. Evenit autem, ut dum ibi ageret patronum, & jam magni eſſet nominis, gliſcente cum experientia & cauſis, animi judicio, quo ſupra cæteros pollebat, anno deinceps octuageſimo & ſe-

cundo,

cundo, de constituendo supremo Hollandiæ, Zelandiæ West-Frisiæque consilio ageretur, cui muneri obeundo, cum alijs primoribus patriæ viris ab illustri Principe Aurasio delectus est Banchemius. qui cum & ambitione alienus esset, & abunde existimationis ac honestæ rei, e causarum patrocinio, paratum sibi cerneret, diu quidem restitit, tandem vero a patria expugnari se passus est. Ita tamen ut eodem tempore in Republica ejusque cura occupatus esset: adeo ut nihil magni admodum momenti gereretur, cui non sagax ille & prudentiæ civilis non minus quam humani ac divini juris consultissimus Banchemij adhiberetur animus. Paulo post, cum gravissima inter Lugdunensem magistratum & Rijnlandiæ Chomarchum de finibus ac jurisdictione orta esset controversia, visum est illustribus patriæ patribus, a Iohanne Banchemio & Theodoro Leeuwio, supremi consistorij assessoribus, rem tantam componi. Quod & prudentissime ab illis factum esse, summa plurimorum annorum tranquillitas testatur. Postea cum itidem inter Reipublicæ Leidensis præfectos & Senatum Academiæ ejusque membra male conveniret, adeo ut manifestam Academiæ perniciem, ni mature occurreretur, res tractura

 esset,

esset, nemo huic quoque simultati componendæ, magis visus est idoneus Banchemio. In quo cum dexteritate summa usus esset ac consilio, cura illi Academiæ est commissa. cui annos multos cum collegis celeberrimis Iano Dousa, Nordovici Domino & Iohanne Grotio Consule Delphensi, præfuit. Erat in hoc viro citra fastum gravitas, citra asperitatem severitas, animus vero nulli rei nisi æquo & bono obnoxius. vt invictum prorsus & inexpugnabilem aduersus fortuita diceres. Iuris autem tanta scientia, non vmbratica quidem illa & scholastica, sed quę vsu forensi confirmata, cum ad singula deveniretur, fidem prope excederet. Quo factum ut extincto Diderico Nieuburgio, supremi consistorij præside, Banchemius succederet, non tam temporis prærogativa, quam virtutis & experientiæ merito. In qua dignitate Musarum simul ac justitiæ antistes, cum bonorum omnium mærore anno cIↃ. IↃ. CI. Novemb. XXIX excessit.



IOHANNES GROTIUS
CURATOR ACAD. LEIDENSIS.

# IANI GROTII.



ATVS & educatus eſt Delphis, nobili Bataviæ civitate. Patrem habuit Hugonē Grotium, qui anno cIↃ. IↃ. LXVII conſulatu quinto mortuus eſt. Grotiorum familia Delphis & circū patritia a quadringentis annis & quod excurrit. Mater ipſi fuit Eleſina ab Heemſkerca, quæ etiam proſapia celebris apud Batavo-Lugdunenſes ab aliquot centenis annis. Præceptoribus Delphis uſus eſt in linguis Latina & Græca Henrico Iunio, Victore Giſelino & Laurentio Ducholio, & eorum hypodidaſcalis. Anno decimo octavo Duacum profectus, in collegio Regio conviva fuit Iohannis Huveterij a Ferrarijs, ubi in eadē tunc menſa inter cæteros erat Ioannes Montanus Sacræ Theologiæ Doctor, amanuenſis quondam magni illius Eraſmi Roterodami. Ibi Philoſophiæ operam dedit ſub Ioanne Sartio a Senephra, cujus auſpicijs magiſter artium & philoſophiæ declaratus eſt. Inde ſe ad Iuriſprudentiam contulit, auditor Piethij, Prælij in inſtitutionibus, Vendevilij, Putij, Boetij Eponis, Vibrandi

& Viti

& Viti, in alijs utriusque juris partibus. Eodem tempore celebres illic erant in Theologicis Matthæus Galenus Westcappellius, Rubus, Albanus, Stapletonus. quorum etiam lectionibus & disputationibus, cum ab alijs studijs otium erat, frequenter interfuit. Postquam urbs Lugdunensis Batavorum obsidione liberata, ibiq; Academia ab Illustrissimo Principe Arausino instituta, fratris Cornelij Grotij literis, qui magistri libellorum supplicum munus professione Academica mutaverat, in patriam, atque inde in ipsam illam se Academiam contulit; in cujus albo sive matricula, tertius omnium tunc temporis studiosorum reperitur; ubi apud matrem fratremque habitavit ad annum usque cIↄ. Iↄ. LXXXII. quo tempore se matrimonio junxit Aleidæ Borriæ Delphensi, ex Overschiaca & Adrichemica prosapia, unde filios tres, filiam unicam sustulit. Adscitus in ordinem judiciarium, consulatus deinde continuos gessit quatuor, moxque Curator Academiæ factus est. Nec pœnituit hac in dignitate constitutum Doctoratus in Iure titulo hactenus omisso, honorari, qui prius cum adhuc Lugduni viveret, omnibus Professoribus tam usus erat familiariter, ut non tantum auditor, verum etiam præcipuorum collega videretur.

 Tan-

Tandem a consilijs factus est Illustriss. Principibus Hohenloicis, quo nomine etiamnum contentus vivit.



# IANI GROTII
## in effigiem suam.

*Consilium patriæ præbens sic ora ferebam,*
*Quando Academiæ credita cura mihi est.*
*Iamque videns dicas, quantum mutatus ab illo,*
*Sed senio & curis hoc venit ex alijs.*

## HVGONIS GROTII
## in eandem.

*Talis eram quondam ille tuus mea patria Consul,*
*Curatorque domus sancta Minerva tuæ.*
*Multum ætas, multum duri trivere labores,*
*Et subit hoc tantum dicere, talis eram.*

DANIE-

## Danielis Heinsii
## in eandem.

*PRæfectus Delphis patrijs Musisque Batavis,*
*Apollinem terris dedi.*

## Gvilielmi Grotii
## in eandem,

*HIc fuerat vultus quondam juvenilibus annis,*
*Cum tibi consilium, patria, terra darem.*
*Nunc aliam faciem curæque ætasque dederunt,*
*Verum animi remanet qui fuit ante vigor.*
*Ille virum turbæ doctorum me addidit, illa*
*Parte hospes, lætor me superesse mihi.*



COR-




COR-

# CORNELIVS NEOSTADIVS



ORNELIVS NEOSTADIVS Dominus in Sevenhoven & Coppel, ſupremę Hollandiæ Zelandiæ Weſt-Friſiæque Curiæ Senator primarius, Academięq; Lugdunenſis in Bat. Curator. Natus Brilæ Anno cIↃ. IↃ. XLIX. ſtuduit in Gallijs Duacorum; Leydæ primus Iuris Doctor renuntiatus. obijt Hagæ comitis Anno cIↃ. IↃ. CVI. illis in muneribus. Scripſit de Feudis Hollandicis, de Pactis Antenuptialibus, de jure Æſdovico, De re Romana, quæ duo poſteriora lucem ſperant.



ADRIANUS A MATHENES
CURATOR ACAD. LEIDENSIS.

ADRIA-

# ADRIANVS MATHENESIVS.



RÆTER Iohannem Banchemium, alterum Musarum antistitem Lugdunum sibi peperit. ADRIANVM MATHENESIVM, Mathenesij & Opmeri toparcham: Iohannis viri primariæ nobilitatis filium. cujus felicitati hoc accessit, quod magno illi Iano Doussæ cooptatus, ex equestri ordine successit. Vere dignus qui pupillam altero parente orbam susciperet, & extincti desiderium, quod erat singulare, incredibili benignitate morũ & prudentia leniret. quam jam ante Ordines ac universa patria fuerat experta, & in rebus gravissimis quotidie experitur. Vt eidem & Martis & Musarum, quæ alumnæ pacis sunt, præsidium eodem tempore incumbat. Cum quibus paria quotidie facit. Cornelio Neostadio supremi consilij Senatore, cui junctus fuerat, defuncto, annos pluri-

mos collegam habuit Cornelium vander Myle, nobilissimum virum. De quibus vere dici potest, bono Musarum natos esse. cum in summa concordia, de uno tantum inter se ambo contendant, vter Academiæ plus prosit. cujus rei palam ambo promeriti, vtrique sibi mutuo concedunt. De virtutibus viri tanti plura hic adferre, illi grave esset. Et pro laudibus, quæ longe ampliores illi debentur, vota sua tota Academia consignat: satis beata, si quam bene est de illa meritus, tam diu bono publico supersit.


CORNELIUS UANDER MYLE
CURATOR ACAD. LEYDENSIS.

# CORNELIVS VANDER MYLE



ORNELIVM NEOSTADIVM Cornelius vander Myle, loci cognominis toparcha excepit. Quem parente Adriano Curiæ Hollandiæ præside, viro nobilissimo & eruditorum omnium patrono, Haga æquitatis sedes & imperij anno cIↃ. IↃ. LXXIX edidit: Lugdunum prima erudivit. Ne in vrbe alia præesset aliquã. do Musis quam in qua eas hauserat. Lugduno in Galliam, Italiam, Germaniam, cæterasque totius fere Europæ Academias se contulit, cum in paterna hæreditate literarum quoque amorem accepisset. In ijs autem nihil æque ac viros eruditos coluit; tanto quidem & successu & studio, ut omnium quoscunque eximios præ reliquis hæc ætas dedit, amorem domum, tanquam peregrinum mercimonium, referret. Quem ut singulari humanitate peregre pepererat, ita in

patriam

patriam reverſus, admiranda, in negociorum mole tanta, diligentia ſcribendi ac labore aluit & conſervavit. Itinere confecto, in Batavia Ioſephum Scaligerum, omnium ſcientiarum apicem invenit: cujus animum cum primo ſtatim intuitu expugnavit. quod ex ipſo audire nemini. Idque legato honorifico idem heros poſtea teſtatus eſt. Plane ut omnium ubique Muſarum amor eſſet, antequam patronus earum in patria fieret. quod evadere non potuit. Neque generoſitati ejus fata uſquam defuerunt. Nam fere omnes quos privatus viderat, dum in cura Academiæ verſatur, cum acceſsione maxima honoris iterum conſpexit: Thuanum, Velſerum, Caſaubonum, alioſque plurimos: quater in Galliam, bis ad Ludovicum XIII & Reginam matrem, ſemel ad Venetos, bis ad Henricum quartum publica legatione functus. in qua, invicta illa & cœleſti manu, quam nemo hoſtium in acie ſuſtinuit, & quæ totam quanta eſt Galliam, ſæpe in horrorem dedit, & eandem amica pace ſolus
iterum

iterum composuit, præter expectationem eques factus est. Domi quoque, postea aliquamdiu in equestrem ordinem ac dignitatem allectus est. Vir non in transcursu dicendus: nisi debito illius virtutibus encomio, vna intercederet. Modestia nimirum. quæ in eo tanta est, ut superstite se cæteras dissimulari malit.



# ICONES & VITÆ
quotquot haberi potuerunt,
eorum qui
in
ACADEMIA LVGDVNO-BATAVA
Sacram paginam aut linguam Sanctam
id est,
SS. THEOLOGIAM
unquam professi sunt:

*Juxta seriem temporis, quo quisque eorum, ab ipso Academiæ primordio, professionem suam auspicati seque mutuo insequuti sunt.*

ordine hic industriè & fideliter exhibitæ.




CAS-

# CASPAR' COELHASIVS.



NATVS eſt Coloniæ Vbiorum Anno Chriſti cIↄ Iↄ XXXVI ipſâ Converſionis D. Pauli Vigiliâ, parentibus honeſtis, & ſeriò pijs: quorum induſtriâ & ſumtibus tum ibidem, tum Duſſeldorpij ſub Rectore Ioh. Monhemio, in bonis literis, inque Religione Majorum, ſedulò inſtitutus fuit. In hac igitur ad annum uſque ætatis XXIV. ipſe perſeveravit. Quo tempore, purioris doctrinæ cognitionem per Dei gratiam adeptus, regno Pontificio, cui militare cæperat, palàm renuntiavit, non ſine magna rei familiaris, & honoris in hoc ſeculo jactura, & crebro vitæ diſcrimine. Itaque variâ aliquamdiu fortunâ jactatus, tandem Anno cIↄ Iↄ LX. Trarbachii, in ducatu Illuſtriſſimi Principis Bipontini, ad Eccleſiæ Reformatę miniſterium vocatur. In qua functione annum circiter integrum ibidem tranſegit. Hinc in Comitatum Naſſovicum profectus, partim Bilſteinæ, partim Sigenæ, eandem provinciam ferme quinquennium cum laude adminiſtravit. Anno deinde LXVI. Daventriam accerſitus, paulò ultra ſe-

 tra ſe-

tra ſemeſtre Eccleſiam ejus loci magnis laboribus collegit: & primus ibidem repurgatam doctrinam publicè in templo tradidit. Sed hinc violentiâ hoſtium expulſus, cùm veluti privatus ad breve tempus vixiſſet, mox anno LXVII. Eſſendiæ ſub ditione Principis Clivenſis ſacrum docendi munus repetijt: & triennium cum ſemeſtri in eodem iſtic conſumſit. Inde in Palatinatum remigrans, Monſsenheimij fermè biennium in hac ipſa adminiſtratione continuavit, uſque ad Annum LXXIII. Quo tempore ab Eccleſia Gorrichomenſi vocatus, cùm labores ſuos ad Chriſti gloriam utilius hic collocari poſſe crederet, contemptis periculis, & adverſitatibus, quibuſcum ſæpe conflictatus fuit, cum familia in Hollandiam pervenit. Sed Gorrichomij vixdum ſemeſtri tranſacto, à Leidenſibus vocatur. Quibus cùm operã ſuam Anno LXXIV. promiſiſſet, obſidione interim urbis graviſsima durante (quæ aditum ipſi omnem præcludebat) partim Delphis, partim Dordraci, ubi Synodus generalis tum habebatur, ad tempus ſubſtitit. Verùm ipſo liberationis die Vrbem hanc ingreſſus, ſæpe dictum Eccleſiæ miniſterium circiter octennium, nempe ad annum uſque LXXXII. fideliter in eâdem exercuit. In qua ſtatione dum
verſa-

versatur, ipsa hujus Academiæ nostræ fundamenta, anno LXXV. ineunte Februario, feliciter jacta fuerunt. In cujus fundationis solenni Actu primus ipse Orationem inauguralem habuit: & professionem Theologicam ex superiorum voluntate auspicatus, Epistolam D. Pauli ad Galatas publicè ad tempus explicuit. Postea successorem non incommodum nactus, cui hanc lampada traderet, in solo Ecclesiæ ministerio labores suos continuavit. Interea anno LXXIX. controversiâ inter ipsum & Collegas obortâ, de jure Christiani magistratus circa disciplinam, & regimen Ecclesiæ, &c. quum cæteris ipse per conscientiam assentiri non posset, hi verò dissentientem ferre nollent: quumq; aliæ subinde difficultates ac lites, ex alijs nascerentur: ipse publicæ pacis studio munus docendi sponte suâ deseruit, & sibi suisque veluti privatus in posterum vixit. Agit nunc annum ætatis LXXIX. corpore quidem obsenium infirmo, sed animo in Christo bene valente. Edidit opuscula sat multa, maximam partem apologetica: sed belgico ferè sermone conscripta: idq; occasione potissimum controversiæ paulò antè dictæ. Horum omnium Catalogum ipse seorsim in lucem edere cogitat: idq; propediem, Deo favente facturum se promittit.




GVLIEL-

# GVLIELMVS FEVGVERÆVS.

GVLIELMVS FEVGVERÆVS, Theologus per illud tempus non incelebris, Rothomagi natus, atque è Gallia in Academiam Lugduno-Batavam honorifico ſtipendio accitus, ut poſt D. Coolhaſium (qui eam provinciam ad tempus tantum tunc ſuſtinebat) Theologici ſtudij fundamenta in hac felicibus jam auſpicijs creſcente Academia iaceret; vocationem oblatam amplexus, anno cIↃ IↃ LXXV. in urbem Leydenſem venit: eodemque ipſo anno profeſsionem ſuam ibidem exorſus, ſolus eam ſine Collega aliquamdiu primus ordinarie obivit, uſque dum D. Bollius ei Collega adjungeretur. Vix profeſsionem ingreſſus, diſputationum creberrimarum mox exercitia proponebat; hacque ſua diligentia ad Academiam frequentandam ſtudiaq; Theologiæ ibidem capeſſenda, plurimorum tam exterorum quã indigenarum animos mirificè accendebat; adeò ut jam inde ab hoc tempore obſervare liceret certiſsima, Academiæ caput ſuum aliquando magnificè erecturæ, indicia. Anno vero cIↃ IↃ

LXXIX.

LXXIX. rebus ipſius id ita exigentibus, ad ſuos iterum in Galliam reverſus eſt, atque prouectâ iam multū ætate, ibidem ubi natus fuerat (quod paucis inter peregrinationes ſuas conceditur) vitam cum morte cōmutavit, anno, ut rumor eſt, cIↃ IↃ CXIII. Scripta quibus quidem Academiam Leidenſem celebrem reddere ſtuduit, ea fere hæc ſunt.

*Bertrami Præſbyteri, De corpore & ſanguine Domini, liber ad Carolum Magnum Imperatorem, Gulielmi Feugueræi operâ emendatus & commentario illuſtratus.*

*Gulielmi Feugueræi reſponſa ad cujuſdam obſcuri inquiſitoris in Zelandia deliteſcentis, de Eccleſiæ perpetuitate & Notis deq; alijs quinque eodem pertinentibus capitibus, quæſtiones. Hunc libellum Iuſtus Lipſius, quod magni eum æſtimaret, hoc elogio ſub illud tempus proſequebatur.*

*Duplicia Heſperij rupiſtis vincla Tyranni,*
*Mattiaci, atque armis aſſeritis patriam,*
*Aſſeritiſque fidem; patriam ſed turbat Iberus*
*Ecce iterum, ecce fidem turbat hic ardelio.*
*Verum alij patriam: ſed tu Feugræe tueri*
*Perge fidem, & fidei qui faciunt tenebras,*
*Scriptis illucere tuis: ſunt vera miniſtri hæc*
*Munia, & ingenio digna tuo & genio.*

IVSTVS LIPSIVS.

IOHAN-


IOHANNES DRUSIUS
LINGUÆ .S. PROFESSOR.

# IOHANNES DRVSIVS.



OHANNES DRUSIUS, aliàs *vanden Dresſche*, natus eſt Aldenardæ oppido Flãdriæ haud incelebri, in ea parte vrbis quę vulgo Pamele dicitur, in domo ſcandulari prope tẽplum e regione caſtelli veteris: anno cIↃ. IↃ. L. XXVIII. Iunij, pridie illius diei qui DD. Petro & Paulo ſacer, circa horam ſeptimam ante meridiem. Docuit Lugduni Batavorum annos VII. & quod excurrit. Hinc poſtea Franequeram Friſiorum ad Academiæ tunc primum ibi naſcentem excitus, ibidem, quamdiu Domino viſum erit Linguam ſanctam ſumma cum laude etiamnum adhuc profitetur; ſacræ paginæ Veteris juxta & Novæ ſtudioſorum ſua nominis celebritate, undecunque ad ſe illuc quamplurimos evocans tanquam in hac profeſsione jam Anteſignanus aliquis. Habet inedita ſcripta partim adfecta, partim confecta, propemodum infinita, commentatus enim eſt in omnes fere libros Teſtamenti Veteris. Habet præterea in manibus alteram partem annotationum in T. Novum, quæ propediem etiam ipſa lucem aſpiciet.

Scripta

## Scripta ejus, quæ diversis temporibus edidit, hæc sunt.


*Comment. in Ruth.*
*In Tobiam Castigationes.*
*Comment. in Esther.*
*Comment. in Priorem Machabæorum.*
*Comment. in Ecclesiasticum.*
*Annotationes in N. T.*
*Observationum sacrarum libri* XVI.
*Quæstionum libr.* III.
*Animadversionum lib.* II.
*Miscellaneorum Cent.* II.
*Parallela.*
*Comment. in minores Prophetas.*
*Fragmenta Veterum interpp. in Psalmos.*
*De nomine Elohim.*
*Quæsita per Epistolas.*
*De tribus sectis Iudæorum, contra Serarium Iesuitam.*
*De Hasidæis, contra eundem.*
*Ad Minerval Seratij Responsio.*
*Opuscula Grammaticalia.*
*Grammatica Ebræa in usum Academiæ Franekeranæ.*
*Comment. in Sulpicij Severi Historiam sacram.*
*Comment. ad voces Ebr. N. T.*
*Grammat. Chaldæa.*
*Apophthegmata Ebræorum & Arabum.*
*Responsio ad quæstiones anonymi Theologi, de nomine Elohim.*
*Notæ in Gram. Clenardi.*
*Proverbiorum sacrorum Classis duæ.*
*Proverbia Bensyræ & Adagiorum Ebraicorum Centuriæ aliquot.*
*Tetragrammaton. sive de nomine Iehovæ.*




LAMBERTUS DANÆUS
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

LAM-

# LAMBERTVS DANÆVS.


IC natione Gallus est, patriâ Aurelianẽsis: qui facili promptoq́; ingenio, cui discendi cupiditas, labor, & exercitatio accedebat, id quod voluit est consecutus. pręter artium enim Eucyclopędiam, variarum etiam scientiarum cognitionẽ adeptus est: earum scilicet, quibus sancta illa studia, quæ postremo secutus est, ornavit atque illustravit. adeo ut mirum sit, homuncionis unius ingenium tot & tam diversas scientias haurire & retinere potuisse. Initio operam Iuri dedit, annosq́; IV. docentem Aureliæ Annam Burgium audivit, qui postea consiliarius in senatu Parisiensi anno cIↄ. Iↄ. LIX. crematus fuit. Ex quo tempore reformatæ religioni adhærens, mutatis studijs, anno sequenti LX Genevam concessit, ibique se totum sacris literis tradens, summa sua vigilantia, lectione Auctorum infinita, memoriaque stupenda obtinuit, ut inter pręstantissimos & exercitatissimos Theologos fuerit habitus. In Pastorum Doctorumq́; Genevensium ordinem accitus, & Ecclesiæ & Scholæ suâ opera perutilis fuit: qui

ſemper commentabaturque edebatque aliquid. Porro in Patribus, tum in Scholaſticâ Theologiâ ita verſatus fuit, ut non facile crediderim exſtitiſſe aliquem, qui in illo ſtudiorum genere hunc antecelluerit. Geneva evocatum Academia Lugdunenſis apud Batavos excepit, docentemq́; audivit. cujus & eruditionem, ingenij alacritatem, promptitudinem, memoriamque in allegandis recitandiſque Patrum, Scholaſticorum, Canoniſtarum, Prophanorumque ſcriptorum ſententijs, eſt admirata. Lugduno Batavorum poſt exactum annum diſcedens, Gandavum anno cIↃ. IↃ. LXXXII. commigravit. ubi & ad breve tempus docuit. vrbe autem illa immoderato in rebus agendis ſtudio, diſcordia moleq́ue ſua jam laborante, in Navarram vocatus: in qua Orthеſianam Academiam Hiſpaniæ proximam docendo ſcribendoq́; illuſtriorem reddidit; ac diem quoque extremum clauſit, annos natus LXVI.

Danæi ſcripta Didactica hæc.

*ELenchus Hæreticorum.*
*Ethices Chriſtianæ libri tres.*
*Tractatus de Amicitia Chriſtiana.*
*Tractatus de Ludo Aleæ.*
*Phyſices Chriſtianæ partes duæ.*
*De Veneficis Dialogus.*

Exegetica.

*Methodus Sacræ Scripturæ, quæ eſt Commentarius in Epiſtol. D. Paul ad Philemonem.*
*Commentarius in priorem Epiſtol. Pauli ad Timotheum.*
*Orationis Dominicæ explicatio.*
*Paratitla in D. Auguſtini Tomos duos præcipuos, nimirum* VI. *&* VII.

*D. Au-*

*D. Aurelij Augustini liber de Hæresibus.*

## Polemica.

*Tractatus de Antichristo.*

*Commentar. triplex in Petri Lombardi librũ primũ Sententiarum.*

*Responsio ad calumnias Gulielmi Genebrardi.*

*Demonstratio Antithesis Iacobi Andreæ de Persona Christi.*

*Examen libri de duabus in Christo naturis a Martino Kemnitio conscripti.*

*Apologia adversus blasphemias Iacobi Andreæ.*

*Antosiander, sive Apologia adversus injustam Lucæ Osiandri condemnationem.*

*Responsio, ad Lucæ Osiandri Admonitionum ad Ecclesias Gallicas & Belgicas.*

*Ad fratres Tubingenses Responsio de trib⁹ gravissimis quæstionib⁹.*
*1. De S. Domini Cœna.*
*2. De Majestate hominis Christi*
*3. De nõ dãnandis Dei Ecclesijs.*

*Responsio ad Stephanũ Gerlachium.*

*Sophismatum ejusdem Gerlachij Elenchus.*

*Responsio ad Nicolai Selnecceri librum, qui inscribitur Necessaria & brevis Repetitio &c. in quo Exegesis Saxonica oppugnatur.*

*Ad Nic. Selneccerum de Exegesi Saxonica brevis Epistola.*

*Ad Articulos de Cœna Dominica. Ministris Ecclesiarum & Scholarum Marchiticarum proponẽdos necessaria Responsio.*

*Ad Libellum ab Anonymo quodam Libertino recens editum hoc titulo, De externa seu visibili Ecclesia, vbi illa reperiri possit, & quænam vera sit, Responsio.*

## Edita prӕterea a DANÆO.

*Commentarius in Euangel. Matth.*

*Commentarius in Euangel. Marci.*

*Loci Communes: quorum tractatio Capita summa* V. *continet.* I. *de Deo.* II. *de Angelis.* III. *de Homine.* IV. *de Ecclesia.* V. *de Salutaribus Dei donis erga Ecclesiam.*

*Responsio ad Bellarmini Disputationes Theologicas.*


*Harmonia sive Tabulæ in Solomonis Proverbia & Ecclesiasten.*

*Geographiæ Poeticæ, lib.* III.

*Aphorismi Politici.*

*Politices Christianæ lib.* VII.

*Vetustissimarum primi Mundi Antiquitatum lib.* IV.


IO-
ANNES
HOLMANNVS
THEOLO-
GIÆ PRO
FES-
SOR.

# IOANNES HOLMANNVS.



Gregium hoc Academiæ Leidensis ornamentum omnisque virtutis expresſisſimum exemplar, Stadena, Germaniæ celebre emporium, protulit Anno cIɔ. Iɔ. XXIII. claris ob officia, & relligionis pericula parentibus, antiqua proſapie Brema oriundis. Nam patrem habuit Ioannem Holmannum Primum, primum in vrbe Stadena ab inclyto Lutheri ingenio Reformatæ Religionis antiſtitem, & Verbi Divini Miniſtrum, ferueſcēte etiamnum ibidem ſuperſtitione Pontificia. Vndè non ſemel ab inſidiatoribus in vitæ diſcrimen adductus eſt. Mittitur a parentibus ſuis Ioannes Holmannus Secundus, admodum puer, Roſtochium; primaque ſtudiorum fundamenta feliciter ibi ponit & abſoluit. Inde ad majorem uberioremq; ſtudiorum progreſſum & cultum Wittenbergam, & magni Philippi Melanchthonis, Lutheri, ac Lotichij, contubernium ablegatur. Quibus domeſtica familiaritate, vitæ integritate, ac eruditionis nitela, ita ſe probavit, ut inſtar filij a Philippo diligeretur. Adeò ut ipſe

Philippus neminem ad Potentiſsimi Saxoniæ Ducis filios inſtituendos & moderandos HOLMANNO aptiorem cenſuerit, ejuſq; commendatione hoc officio ſumma cum laude functus fuerit. Sed mox in patriam revocatur, & Sacro Miniſterio initiatur: primumq; in pagis Stadenæ vicinis, deinde ipſa in patria ſua ſummo cum honore hoc munere fungitur. Vxorē ducit Annam anno ætatis XXIII. ex qua liberos ſuſcepit quinque. Eorum natu maior Ioannes Holmannus tertius cum ad ætatem adultam deveniſſet, egregiamq; ſtudijs operam navaſſet, ſimul cum patre Stadenæ Verbi divini Miniſterio functus eſt; ductaque uxore tres liberos procreavit. Sed nullam felicitatem in his rebus caducis perpetuam S. Deus homini eſſe voluit, fortunamque nobis vitream largitus eſt, quæ tunc cum ſplēdet frangitur. nam repentè fatalis aries Holmanni familiam concutit: moritur uxor, moriuntur liberi omnes, & tres ex filio nepotes. Ita Ioannes Holmannus Secundus qui modò pater & auus fuerat, & jam pronepotes expectabat, omni poſteritate deſtituitur. Cumque circa hoc tempus viri eruditio ac celebritas Nobiliſsimorum & Ampliſsimorum Academiæ Leidenſis Curatorum & vrbis Conſulum auribus inſonuiſſet, ampliſ-

amplißimis honeſtißimiſque condicionibus, virum ætate gravem, Theologiæ ſcientia maximum, Hebraicarum ac Grecarum literarum peritia clarißimum, ad Ordinariam in Academia ſua Theologiæ Profeßionem ſuſtinendam evocant. Leidam igitur commigrat anno cIɔ. Iɔ. LXXXI. & poſt menſes quindecim ex patria accerſit Beken ab Edenbuttels virginem patrinam (quam olim infantem ſæpe ulnis geſtaverat) ac Leidæ in uxorem ducit. Cum qua deinde ſuaviter vitam tranſegit, ſed ſine ullo prolis proventu, uſque ad annum cIɔ. Iɔ. LXXXVI. Tunc lethali febre oborta moritur ſecundo die feſti Natalitij Salvatoris noſtri, mane hora VII, in amplexibus IOANNIS HEVRNII, adſtante Iano Douſa, Lipſio, Beima, cum uxoribus, amicis charißimis. Nam nec Douſa, nec Heurnius magis familiarem aut amicum unquam quenquam habuere. Exequias HOLMANNI docta & magnifica funebri oratione decoravit Cornelius Grotius Iuris Profeſſor Ordinarius. Ingenti amicorum cum luctu, & non mediocri Academiæ damno Holmannus mortalitatē explevit. Nam præter ſummam Theologię peritiam, adeò exacta literarum Hæbraicarum peritia clarebat, ut omnibus Europæ ingenijs eo in ſtudio aciem perſtringeret.

In niveo hoc pectore cũ Relligione & ſincera fide Eruditio ac comitas certabant. adeò ut virtutem in ipſo extollere, eſſet injuriam eruditioni inferſe: eruditionem laudare, nihil aliud eſſet quam virtutem depratiare. Hunc Celſiſsimus Princeps MAURITIUS NASSAVIUS, tum in Academia Leidenſi ſtudijs vacans, hunc Curatores & Conſules reverebantur; amabant Collegę, venerabantur & loco parentis colebant ſtudioſi. Ad publicas enim lectiones domo exiens, indéque rediens magna ſtudioſorum caterva deducebatur. qui honor nulli Profeſſorum ab ipſis Academiæ incunabulis, in hunc diem uſque, niſi Holmanno & Lipſio tantum contigit. Scripta quidem nulla edidit, ſed plurima reliquit, quæ cum inſtructiſsima ipſius Bibliotheca publicè adſervantur. Nam moriens Academię totam Bibliothecam legavit, primum fundamentum & exordium Bibliothecæ Leidenſis.



*Vir Nobilissimus* IANUS DOUSA, *Dominus de* NOORTWYCK,

Academiæ Leidensis Curator, ac Supremæ Curiæ Hollandiæ & Zelandiæ Consiliarius,

mœstus amico intimo

IOANNI HOLMANNO SECVNDO, THEOLOGIÆ PROFESSORI CLARISSIMO;

*in perpetuam posteritatis memoriam hanc*

*FVNEBREM ELEGIAM*

Posuit Leydę in templo DIVI PETRI.

*HOc tumulo* HOLMANNI *cineres Libitina sacravit:*
*Siste hospes; fuerit, dũ; quis & unde scias.*
*Prognato ingenuis* STADENA *parentibus auras*
*Lucis, & expensa huic prima alimenta tulit.*
*Mox* RHODUS, *&* CIMBRÆ *puero plausistis* ATHENÆ,
*Quà* CODANA *frequens littora plangit olor.*
*Hic percepto animi cultu, morum indole, vitam,*
*Ingenium, ingenuis artibus excoluit.*

*Nec*

*Nec ſatis hoc: celebrum* MISNI *quoq́; Principis* AVLAM
*Et* WITTENBERGAM *noſcere cura fuit.*
*Sæpe hic* LOTICHII *pendere canentis ab ore,*
*Sæpe tua meruit voce,* PHILIPPE, *frui.*
*Sacrorum imprimis* RITVS *perdiſcere cordi:*
*Et ſtudium veræ Religionis habens.*
*Majores natu venerari, æqualibus uti*
*Comiter, à faſtu liber & inuidiâ.*
*Et mirum, tantis virtutum inſignibus auctum*
SAXONICI *ſtudium promeruiſſe* DVCIS?
*Et dignum ante alios habitum, ſua pignora curæ*
*Cujus, & arbitrio crederet, & fidei?*
*Martia quò placidas molliret corda per artes,*
*Æmula Phylliridæ Suâda Magiſterio.*
*Si magnis placuiſſe haud parva eſt gloria, noſter*
*Cur non hac etiam laude* SECVNDVS *ouet?*
*Sed durum pugnare Deo, patriæque* VOCANTI,
*Sic laribus tandem redditus ille ſuis.*
*Spargere* DIVINI *properavit ſemina* VERBI
*Vixdùm etiam quinas natus Olympiadas.*
*Erudiundi alios* SOPHIA *eſt & principium & fons,*
*Hæc paritur non ætate ſed ingenio.*
*Quæ cura à teneris* HOLMANNO *inceſſerat annis*
*Civibus ut poſſet utilis eſſe ſuis:*
*Hæc eadem uſque, per undecimæ Trieteridis orbem,*
*Ad canos etiam concomitata ſenem:*

*Dura-*

*Duratura rogô porrò tenus. & bene, ſinon*
*Huc quoque manaſſet nominis aura tui.*
*Scilicet hinc* BATAVO BREMAM *mutare* LYCÆO,
*Et* LVGDVNENSEM *iuſſus adire* SAIN:
*Hoſpitæ ubi terræ oſſa dares, ea ſcilicet una*
*Deêrat adhuc ſpatijs ultima meta tuis.*
*Haud aliena tamen: certè domo abuſque petita,*
*Hic ijt in thalamos* CAIA *ſecunda tuos:*
*Quæ legeret ſupremo animam morientis ab ore,*
*Lumina quæ cauis conderet articulis.*
*Hîc priva, ac* DOVSÆ *laribus confinia tecta:*
*Carior hocque etiam nomine* LEIDA *tibi.*
*Parva loquor: tanti certè inquam* LIPSIVS *ille,*
*Qui tibi pro multis millibus unus erat.*
*Diſcipulorum auris, tanti; conſueta frequenti*
*Cingere ſuggeſtus obſidione tuos:*
*Solennique ſenem juvenum deducere pompâ,*
*Abdita dum magni fers documenta Dei.*
*Indicio fuerit librorum exſtructa ſupellex,*
*Verſatos manibus quos juvat eſſe tuis.*
*Hanc Academiæ voluiſti cedere in Vſum,*
*Prodeſſe orbi etiam poſt tua fata ſtudens.*
*Nec pietas obſcura tua hæc, ſed in* ACTA *relata*
*Publica nunc quo ſtat* BIBLIOTHECA *loco.*
*Ingenij hic quoq; multa tui monumenta leguntur,*
*Signata archetypis illa voluminibus.*

*Lique*


*Liqueris hæc animi quo robore, quamqúe* SALVTIS
*Spe solida innexus, prætereunda mihi.*
*Uxorem & quotiens solatus dixeris, O quam*
DISSOLVI, *& tecum me, Deus, esse juvat.*
*Ut propria hæc ejus fuerit laus; mî satis illud*
*Dicere, non aliter sit mihi posse mori.*
*Sic tua mors, sic vita odij expers omnis, & unde*
*Jure sibi exemplum nostra* LYCÆA *petant.*
*Nunc veram tibi det* REQVIEM *Deus, & bona multa*
*Eveniant cineri, care* SECVNDE, *tuo.*

## EPITAPHIVM.

Deo Max.
ET. MEMORIÆ. IOH. HOL-
MANNI. SECVNDI. THEO-
LOGI. ET. PROFESSORIS.
VITA. DOCTRINAQ; LAV-
DATI.

Beke ab Edenbuttels.
VXOR. HEV. MOESTA.
POSVIT. VIXIT. AN-
NOS. LXIII. OBIIT. ANNO.
CIƆ. IƆ. LXXXVI. VII.
KAL. IAN.

# HADRIANVS ZARAVIA



ADRIANVS ZARAVIA Theologus eximius, ſimulque in linguis plurimis egregiè verſatus, propter nominis celebritatem & quia putabatur Academiæ Leidenſi utilem admodum nauare operam poſſe, a Nobiliſs. DD. Curatoribus & Conſulibus Vrbis, ad Academiam eorum vocatus, Theologiam ibidem profiteri cœpit anno cIↄ Iↄ LXXXII. atque cum ſub illud ipſum tempus plurimi ex Arteſia, Hannonia, Leodienſi, Namurcenſi agro, atque etiam aliunde Galli exules ingruentibus bellis ac perſecutionibus, deſertis ſuis finibus, religionis ergo Lugdunum Batavorum habitatum concederent, ibidemque cœtum utcunque magnum conſtituerent, eccleſiæ Gallorum illorum exulum paſcendæ a Magiſtratu Leidenſi præfectus eſt, inque hoc utroque munere annos aliquot cum fructu magno conſumpſit. Sed anno LXXXVII, quoniam negotijs Leyceſtrianis ſeſe imprudentius innexuiſſet ſubito hinc diſcedens, fixis poſtmodum in Anglia ſedibus, ibidem reliquæ vitæ ſuæ tempus in

 fun-

functione ecclesiastica exegit, plurima interea temporis non contemnendæ eruditionis Theologica scripta diuulgavit. Fuerunt vero hæc primum quidem seorsim edita, sed anno cIↄ Iↄ cxI. undecunque collecta atque conquisita uno omnia simul volumine edidit Societas Stationariorum Londinensis, suntque hæc:

*De diversis gradibus Ministrorum Euangelij.*

*De honore præsulibus & præsbyteris debito.*

*De Sacrilegis & Sacrilegorum pœnis.*

*Defensio tractatus De diversorũ Ministrorũ gradibus ad Theodor. Bezam.*

*Responsio ad convitia quædam Gretzeri, in quibus Hadriani Zaraviæ nomine abutitur.*

*N. fratri & amico.*

*Examen tractatus D. Bezæ De triplici Episcoporum genere.*

*De imperãdi auctoritate & Christiana obedientia, libri quatuor.*



FRAN.


FRANCISCUS RAPHELENGIUS
HEBRÆARUM LITERUM PROFES.

# FRANC. RAPHELENGIVS.



LANOII, ditionis Insulanæ oppido, natus XXVII Februarij anno Christi CIↃ IↃ XXXIX, prima literarum fundamenta cùm Gandavi iecisset, patrem amisit: proinde matris iussu ad mercaturam se convertere coactus, à mercatoribus apud quos collocatus erat, Noribergam missus, animo ipsius ad mercaturam minus aut apto aut inclinato, apud eos ipsos ad quos missus erat, commoditatem nactus est studia pauxillum intermissa per biennium plus minus continuandi. Domum inde reduci nova se obtulit occasio Lutetiam proficiscendi: ubi, florente tum Academia, magnos in linguis Græca & Hebræa sub illustribus professoribus, & inprimis Ioanne Mercero, profectus fecit. Supervenientibus ibidem bellorum civilium tumultibus, in Angliam se contulit, & Cantabrigiæ aliquantisper Græcam linguam professus est; donec instituta in patriam revisendæ matris gratia profectione, Antverpiam in reditu divertit, coëmendis aliquot libris, quorum tum Cantabrigiæ non magna erat copia. Dum Ant-

verpiæ

verpiæ aliquantiſper hæret, correctura Typographica ipſi arridente, mutato conſilio, operam ſuam Christophoro Plantino addixit: qui adeò ingenuitate morum ipſius delectatus eſt, & potiſsimum quòd typographiæ ſuæ, eruditionem juvenis cum inſigni coniunctam diligentia perutilem fore animadverteret, ut maximam natu filiarum Margaretam ipſi elocaret anno cIↄ. Iↄ. LXV. Dum in ſoceri typographia per plures annos correcturæ librorum præcipuam molem ſuſtinet, Biblia illa magna, quæ Regia vocant, edere Plantinum contigit. In horum editione incredibile quantos labores Raphelengius ſuſtinuerit, dum accuratiſsimè ſingula recognoſcit, Annotationibus, ubi opus erat, illuſtrat; verſionem interlinearem adornat; Grammaticam Hebræam ex optimis quibuſque Grammaticis cum iudicio & cura collectam addit; Epitomen Theſauri linguæ Hebrææ Santis Pagnini infinitis vocibus auget, & innumeris locis emendat; quod ſatis ex teſtimonio Benedicti Ariæ Montani inter Prolegomena præmiſſo, patet. Multa ijſdem annis ad ornamenta librorū quos ſocer excudebat, præcipuè in linguis Orientalibus, corrigendo, illuſtrandoq́ue præſtitit, quamuis rarò nomen ſuum adſcribi pateretur. Tandem ſocero

Lugduni Batavorum, quo longiùs à turbis abesſet, commorante, omnis moleſtia directionis Typographicæ in illum fere ſolum Antverpiæ incubuit. Plantino verò ſub finem anni cIↄ. Iↄ. LXXXV. Antverpiam reverſo, vice verſa Raphelengius Lugdunum Batavorum cum familia commigravit, & in partem Typographiæ quam eò Plantinus tranſvexerat, ſucceſsit. Hîc Hebrææ linguæ Profeſſor factus, operam ſuam & Curatoribus Academicis, & auditoribus ſuis probavit. Otium inſuper maius nactus, ſeriò Arabicæ linguæ cognitioni, quò antè ſemper animus illum ferebat, ſe applicare cepit; & ſubſidijs librorum, quos Guil. Poſtellus & And. Maſius benevolè ſubminiſtrârant, *Lexicon Arabicum* ſatis copioſum confecit; adiutus etiam nonnihil uſu librorum Ioſephi Scaligeri, quo cum ſæpenumerò de ijs ſtudijs conferebat. *Lexicon* hoc cùm in nimiam molem excreviſſe illi videretur, demtis multis quæ minùs neceſſaria exiſtimabat, in formam editioni aptiorem contractius deſcripſit; ita tamen vt tironibus ſufficere, & provectioribus etiam placere poſſe non omnino deſperaret. Vix ultimam manum Lexico deſcribendo impoſuerat, cùm mors, quam toto triennio præ tædio amiſſę uxoris, & paralyſi afflictatus, ſæpe optave-

rat,

rat, virum optimum humanis exemit Iulij anno Christi cIↄ. Iↄ. LXXXXVII. ætatis suę LVIII. superstitibus filijs tribus, filia vnica. *Lexicon* id quindecim ab obitu ipsius annis publici iuris factum est. Scripsit pręterea *Dictionarium Chaldaicum*, quod posterioribus editionibus *Epitomes Pagninianæ* subiunxit; item alia quædam; sed omnia in privatos suos vsus: vt *Lexicon Persicum* vocabulorum quæ in Pentateucho; item *Observationes linguæ Hebrææ*, quas vir minimè ambitiosus nonnullis familiarium & discipulorum promtè & liberaliter communicavit. *Tabulas* item in *Grammaticam Arabicam*, & alia huc facientia, sibi concinnavit: sed quæ edi noluit, ne Postello, qui primus Christianorum *Grammaticæ Arabicæ Rudimenta* vulgavit, gloriam præripere voluisse videretur. Multa ex Hebræo & Arabico in Latinum sermonem transtulit; quorum pauca admodùm perfecta, pauciora edita sunt.

Statura fuit paulo infra mediocrem; forma faciei qualem imago hæc non infeliciter refert; colore florido; barba spadicea, oblongiore; oculis cæruleis; moribus sine fuco & fallacijs, & præcipuè ab omni fastu alienissimis. Familiares habuit viros doctos Ariam Montanum, Bodarianos fratres, Iosephum Scaligerum, Ioannem

Drusi-

Drusium, Franciscum Iunium, Franciscũ Gomarum, & alios; sed intrinsecè Abrahamum Ortelium, Cornelium Kilianum, Carolum Clusium, Iustum Balbianum, Iustum Lipsium, & Lucam Trelcatium seniorem.

## IN OBITVM FRANCISCI RAPHELENGII.

*ASpicis angustam tumuli se tollere molem,*
*Lenique terram vertice,*
*Exiguo raram gremio quæ possidet umbram,*
*Manesque nobiles. procul*
*Hinc fuge, cui scelerum cura est, cui gloria rerum*
*Ventosa pectus erigit:*
*Virtuti patet ille locus, solique beatus*
*Sacer modestiæ vacat.*
*Virtutum domus est: jacet hic Raphelengius ille,*
*Ingentis Europæ decus.*
*Huic oriens Aurora suos ediscere soli*
*Permiserat lubens sonos.*
*Eoosque domi rediens transduxit honores,*
*Paucisque cognitus licet*
*Cum patrijs Batavis Arabas confudit & Indos.*
*Ah! hospes, ah! en, qui fuit*
*Sol oriens nobis, linguasque orientis ab ortu*
*Transvexit, occidit tamen.*

LVCAS


LUCAS TRELCATIUS PATER
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

# LVCAS TRELCATIVS P.




RINI natus eſt, in agro Atrebatico, non procul Duaco, anno cIↄ. Iↄ. XLII. Pueri curam matertera ſuſcepit, pia & religioſa Fœmina, Cœnobij cujuſdam Veſtalium Mater. Ab hâc Duaci primum educatus, ubi literaturæ principia hauſit, & pro ingenio, quo valebat, in literarum humaniorum ſcientiâ profecit plurimum. Ex eâ ſchola inſulas Flandriæ miſſus eſt, atque inde Lutetiam, celebre tunc omnis doctrinę emporium. Illic dum ſtudia colit, viris magnis quibuſdam innoteſcit, inter quos Ioannes Mercerus, regius Hebrææ linguæ profeſſor, & Petrus Ramus oratoriæ. Moxque religionis purioris amore accenſus, materteræ beneficijs renuntiat, & mercatoribus quibuſdam Inſulanis, ſtudijs promovendis neceſſaria promittentibus, operam in poſterum addicit. Lutetiâ deinde Aureliam abijt, inde Sancerram, quod in agro Biturigũ oppidum eſt, obſidione ac fame celebre, anno ætatis XXVIII. Inde per belli civilis tempeſtatem huc illuc circumactus, in Angliam ejectus Londini ſedem fixit.

fixit. Ibi linguæ Latinæ Ludum aperuit, jamq; octauum ita annum exegerat, cum vocatus ab Insulanis, Ecclesiæ istius ministerium capessit. Sed iniuria temporum non diuturnam illi hanc sedem permisit, itaque ad Bruxellanos, à quibus anteà quoque rogatus erat, commigrat. Hic post sexennium disturbatis Ecclesijs, Antverpiam se contulit, ibidemque propter obsidionem urbis, & infesta itinera, menses ferme octo subsistere coactus est. Interea, cum variæ vocationes ipsi offerrentur, de fratrum sententiâ, Ecclesiæ Gallicæ Lugduni Batavorum se addixit, cui per XVII annos fideliter inseruiuit. Vix biennium illic egerat, cum propter eruditionem eximiam ad Academiam adhibitus fuit. Tandem cum multa laude munus obeuntem, pestis rebus humanis exemit, Anno cIↃ. IↃ. CII, ætatis LX. Scripsit *Synopsin Theologiæ.*

## IN OBITVM LVCÆ TRELCATII P.

*Trelcatij ora cernis & pium caput:*
*Vox sola restat, priscaque eloquentia.*
*Illam relinquit artifex scalpri manus,*
*Ut ipse laudem servet hanc totam sibi.*

D. H.


CA-
ROLVS
GALLVS SS.
THEOLO-
GIÆ PRO
FES-
SOR.

# CAROLVS GALLVS.

CAROLVS GALLVS natus Arnhemiæ, primario Geldriæ oppido, ex patricia familia anno Christi cIↃ. IↃ. xxx. die xvi Augusti. Hic fundamentis liberalium artium, & cognitione Latinæ & Græcæ linguæ mediocriter excultus, Coloniam Aprippinam ablegatus, ibi initio juri operam dedit; ejus verò mediocri cognitione tinctus, mutato studio, veræ & orthodoxæ religionis zelo ductus Genevam concessit, studiumque Theologiæ arripuit, sub præceptoribus, magni nominis viris Iohanne Calvino, & Theodoro Beza, ac summa sua vigilantia & morum humanitate obtinuit, ut præstantissimo cuique ac eruditissimo gratus acceptusque fuerit. Peragrata deinde reliqua Gallia in Germaniam sese transtulit. Redux in patriam quantos labores, quæ pericula exceperit & sustinuerit, vix quisquam dixerit, veræ enim pietatis luce instructo, erat tunc temporis periculosum eam profiteri. Deinde Daventriam evocatus ibi fidelem piumque verbi divini præconem egit, & in vera orthodoxa reformataque

 religio-

religione, Ecclesiam sibi commissam pie feliciterque instituit & gubernavit. Adhæc turbata ibi propter pontificiorum persecutiones Ecclesia, ab illustrissimo principe Wilhelmo Duce Clivensium, Hammonam Marchiæ oppidum est evocatus, ibique per XVI annos pastoris fidelissimi munere in Ecclesia defunctus est. Inde furoribus & turbis Anabaptistarum ejectus, tandem Lugdunum Batavorum ad Professionem Theologicam ab Amplissimis DD. Curatoribus est accersitus anno CIↃ. IↃ. LXXXVII. In qua vocatione septennium cum honore & fructu auditorum non exiguo versatus, post sopitos in patria militares tumultus, longęque a patria absentiæ pertæsus, patriam quasi postliminio repetijt, ubi nunc octuagenario major in vivida & virenti senectute, Deo, sibi, & sacris studijs quicquid superest vitæ, consecravit.

Edidit publicè in lucem, librum Gecmanice conscriptum contra errores Anabaptistarum. Præterea edidit Latine brevem & perspicuum Commentarium in Apocalypsin Divi Iohannis: qui inscribitur *Clavis Prophetica, Nova, Apocalypseos Johannis Apostoli & Euangeliographi.*

PHILIP-



PHILIPPUS MARNIXIUS SANT-
ALDEGOND .V.N.THEOLOGUS.

# PHILIPPVS MARNIXIVS.

PHILIPPVS MARNIXIVS ſancto-Aldegondius nat9 eſt Bruxellis, anno cIↄ Iↄ xxxviii. Nomen ejus per Europam totam clariſsimum; & in viro genus, ingenium, eruditio, eloquentia, virtus, atque induſtria certabant. Tumultu Belgico pro communis patriæ libertate præclaram ſanè operam nauauit, & à GVLIELMO NASSOVIO AVRIACO, magno Principe, ſummo in honore habitus eſt. Vix quiſquam dicat, quantos labores, quæ pericula pro Rep. exceperit, & ſuſtinuerit. Ad diverſos Reges, Principes, ac Reſpublicas, ſæpe legatus. Inter varias graviſsimaſque occupationes aut ſcribebat, aut commentabatur ſemper aliquid, Reip. aut Eccleſiæ profuturum. Cum ſingulari ſacrarum literarum amore flagraret, è linguâ Hebræâ, cujus præter alias plures apprimè doctus erat, Pſalterium tranſtulit, Inde Biblia quoque ipſa, Ordinum auſpicijs, eſt aggreſſus, quod opus abſolvere mors non permiſit. Ac poſtremum in Galliam legatus, valetudine obnoxiâ, fractoque multis laboribus corpo-

corpore, Lugduni Batavorum in Musarum gremio expiravit, cum in Vrbe illâ Bibliorum translationi incumbens, annos aliquot exegisset. Obijt xv. Decembris anno seculi xcviii. ætatis suæ lx.

## Epitaphium.

*Non poterant alibi tua dignius ossa cubare*
*Marnixi, juxta clare sago atque toga,*
*Quam* Leidæ; *Martis quæ & Pallad is artibus alté*
*Effert præ reliquis urbibus alma caput.*

## Scripta hæc sunt.

*Psalmi ex Hebræa in Belgicam linguam translati: deinde ad Rhytmos Belgicos ab eodem revocati.*

*Sic Veteris & Novi Testamenti Cantica.*

*Theses aliquot de Ecclesiæ atque Ecclesiasticarum Traditionum* κριτηρίῳ *seu certa norma.*

*Item de Sacramento Cœnæ Dominicæ*

*Responsio ad Michaëlis Baij, Regij Professoris Lovaniensis, Apologiam.*

*Epistola Consolatoria ad Fratres Exules, Brabantos, Flandros, Hannones, Artesios, aliosque Belgas, peregrinis in regionibus, ob puram Euangelij doctrinam, dispersos.*

*Tractatus de Cœna Domini, ad Galliarum Regis sororem, Lotharingiæ Duci nuptam.*

*Contra Libertinos.*

*Apologetica Responsio contra Anonymum quendam Libertinum*

*Alvearium Romanum.*

*Tabula, quâ differentia Christianæ & Papisticæ Religionis exponitur.*

*Oratio pro Serenißimo Archiduce Austriæ Matthia & Ordinibus Belgicis, habita Wormatiæ in Comitijs, Anno* CIↃ.IↃ. LXXVIII. *menso Majo.*

His accedunt variæ varijs temporibus evulgatæ. *Admonitiones, Declarationes, Tractatus, Consilia, Disputationes, Consolationes, Interpretationes,* Et inter Seria, Ioci etiam & Facetiæ, aliáque Scripta Anonyma multa.



FRAN-


FRANCISCUS IUNIUS SS.
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

# FRANCISCVS IVNIVS.



IRVM Nobilem, nobiliorem Theologum, Bituriges protulerunt anno cIↄ. Iↄ. XLV. Primum quinquennium egreſſus elementa diſcere cœpit docente patre, ſexennis ſcribere. Annos natus XII. lectionibus publicis operam dedit, & Iuris ſtudium arripuit, ſub præceptoribus magni nominis, Franciſco Duareno, Hugone Donello, Antonio Concio, & Ludovico Ruſſardo. Sed eo poſteà neglecto ad Theologiam ſe applicuit, exactiſque aliquot annis Genevæ, cum nuntiaretur Eccleſiam Gallicam Antverpianam miniſtrum ſibi quærere, cum amicorum ſuaſu, tum proprio animi motu, occaſionem arripere placuit. Vbi fideli aliquamdiu navatâ operâ, ut & in vicinâ Flandriâ, Gandavi, Brugis, alibi variâ fortunâ ſæpe cum præſentiſsimo vitæ periculo, Limburgum tranſlatus, cum neque illic tutam ſtationem haberet, Heidelbergam abijt, exceptuſque illic humaniſsimè à Frederico Electore aliquantiſper hæſit in eccleſia Scænavienſi. Inde itinere in Galliam inſtituto, ut matrem amicoſque ſalutaret,

lutaret, eo peracto in palatinatum redijt, ibique commoratus variâ mansione ad annum cIↃ. IↃ. XCII. cùm ducis Bullionij auctoritate in Galliam rediturus, Belgium transiret, Lugduni Batavorum benignè exceptus detentusque, per decennium in Academiâ SS. Theologiæ Professoris primarij munus sustinuit. Tunc grassante per omnem Hollandiam peste absumptus, Deo animam piam reddidit, anno cIↃ IↃ. C. II. ætatis LVII.

EPITAPHIVM CHRONOSTICHVM.

OCtobrIs ter sena DIes & qVIna refVLget
    SenaqVe LeyDensI bIs sonat hora solo.
OrbIs VbI Titan FranCIsCVs IVniVs atrâ
    TaCtVs peste, æthræ regna beata petIt.

A. A.

ALIVD.

IVNIVS *ergo abijt, Batavæ lux aurea gentis;*
    *Et quem vix orbis, nunc brevis urna capit?*
*Quis lamenta mihi dictet, quis flebile Carmen,*
    *Atropos, inque tuum non bona vota caput?*
*Siccine tam sancto tollis de vertice crinem;*
    *Diaque, queîs poteras parcere, fila secas?*

*En, facinus pullato* ECCLESIA *luget amictu,*
*Et sua* GYMNASIUM *nobile damna gemit.*
*Et plorat* PIETAS, *& sparsos scissa capillos*
*Persolvit cineri tristia justa pio.*
*Sertáque dat lacrymis* VIRTUS *manantia, mittit*
*Inferias tumuli in vertice, cana* FIDES.
*Sic tamen æterno decurrunt ordine fata:*
*Vertitur arbitrio sors sua cuique* DEI.
*Et ratio est, animum nobis quæ temperet ægrum:*
*Debuit hoc cælo, quòd dedit, ipse suo.*

IOANNES MEVRSIVS.

## Scripta ejus hæc sunt.

*Oratio Gallica ad Regem Hispaniarum pro defensione Belgij.*

*Responsum ad fratres Zandwicenses in Anglia, de imagine Christi.*

*Vetus Testamentum cum D. Immanuele Tremellio translatum ex Hebraïco.*

*Acta Apostolorum, & Epistolæ Pauli ad Corinthios translatæ ex Arabico.*

*Confessio fidei Frederici III. Elect. Palatini Gallica.*

*I. Bodini Dæmonomania Latina facta Germanorum postulatu.*

*Apocryphi libri translati, cum Notis.*

*Ioannes Tilius De regibus & Regno Gallorum Latinus factus, historiæ studiosorum quorundam postulatione.*

*Oratio De linguâ Hebræa.*

*Grammatica Hebrææ linguæ.*

*Ecclesiasticus Latinè & Gallicè.*

*Specularium Immanuelis Tremellij adversus Genebrardum.*

*Orationes duæ Francotaliæ habitæ ad lectionem veteris Testamenti.*

*Oratio*

*Oratio de vita & obitu Zachariæ Vrsini.*
*In Anathematismum Georgij XIII. adversus Gebherdum Coloniensem Episcopum.*
*In Epist. Iudæ Apostoli.*
*Orationes quatuor ad lectionem Veteris Testamenti.*
*Προκατάβλημα in quatuor primos Psalmos Davidis.*
*Apologia catholica Latina facta.*
*Lexicon Hebraïcum.*
*Index Expurgatorius.*
*Admonitio Christiana contra Ioannem Haren, Gallicé.*
*Liber, cui titulus, Academia.*
*Curopalates cum Notis, Græcé & Latiné.*
*Epistolæ duæ Regis, & una Plessæi Latinæ factæ.*
*Paralleli sacri.*
*Prætexta pulla in obitum Principis Anhaltini.*
*Πρωτοκτισία in III. capita Geneseos.*
*Confutatio argumentorum in historiam creationis.*
*Notæ in Apocalypsin.*
*Manilius cum Castigationibus & Notis.*
*Prima defensio doctrinæ catholicæ de Trinitate.*
*In Danielem Commentarius.*
*Confessio Regis Galliarum Gallicé,*
*Libitina in obitum Ioannis Casimiri Comitis Palatini.*
*In Psalmum CI. Commentarius.*
*Expositio in Apocalypsin Gallicé.*
*Analysis in Genesin.*
*In Ionam Prophetam Commentarius.*
*M. T. Ciceronis epistolæ ad Atticum & Q. fratrem cum Emendationibus & Notis.*
*Defensio catholicæ doctrinæ de natura & gratia.*
*Eirenicum.*
*Christianus Pacificus Gallicé.*
*De politiæ Mosis observatione.*
*De Theologia.*
*Oratio in Iesuïtas Latina facta.*
*Tertullianus cum Notis.*
*Animadversiones in Bellarminũ. item Animadversiones ad treslibros de* TRANSLATIONE IMPERII ROMANI *à Græcis ad Francos, quos Bellarminus Disputationum suarum libris interseruit adversus Matthiam Flaccium Illyricum.*
*Commẽtaria in Iechezkelem Prophetam.*

*In*


*In Euangelium ſecundùm Matthæum analytica expoſitio.*
*Loci communes aliquot SS. Theologiæ, & alia quæ nondum exſtant.*

REgia majeſtas, quam quondam vidimus, oris
  Talis erat, Iuni ſic redivivus eris.
Sin furor eſt, tentare hominem cœleſtia quenquam;
  Et furor eſt, dotes pingere velle tuas.

D. H.



FRAN-


FRANCISCUS GOMARUS THEO:
LOGIÆ PRIMARIUS PROFESSOR.

# FRANCISCVS GOMARVS.



RANCISCUM GOMARUM domo Flandrum, Anno a ſalute parta cIↄ. Iↄ. LXII. dedere Brugæ, veræ Belgarum Athenæ. ſive humanitatem civium videas, ſive ingenia ad literas nata, ſive nominis celebritatem, ad quam plures noſtra tempeſtate pervenerunt. Patri Franciſco, matri Iohannæ Moermans fuit nomen; ambobus honeſto loco natis, & in re non contemnenda. Puer prima literarum ſtipendia in urbe patria fecit, quæ doctiſsimos iuventutis doctores ſemper alujt in literis; nonnunquam & qui publicè docerent: invidente fruſtra Dovaco, cui Academiæ prærogativam Flandria concedit. Cæterum cum pietatis veræ luce imbutus eſſet, & hanc parum tutum eſſet, ut tum tempora ferebant conſcientiæ iniqua, profiteri, in Britanniam ſe contulit: ubi in Philoſophiam magna animi contentione incubuit, & peracto, ut loquuntur ibi, curſu, magiſterij honorem adeptus eſt. Hinc in Germaniam profectus, in ea Heidelbergam, in qua ſummi tum Theologi docebant, ſtudijs delegit. Neque minus

minus optatam ibi metam curſu contigit, & ſupremum in ſanctiſsima hac facultate gradum promeruit. Cum autem patria carendum videret ſibi, Francoſurtum ad Mœnum, urbem toto orbe a celebritate nundinarum, quæ bis anno recurrunt, notiſsimam, reliquis prætulit: ut in eo cum fructu verbum Dei purè ac fideliter doceret. Et in ea quidem Eccleſia annos aliquot tranſegit. Tandem Lugdunum Batavorum, ab ijs quorum curæ ab Illuſtribus Hollandiæ Ordinibus commiſſum eſt, ne quid detrimenti literaria res capiat, in hanc Academiam, quę magni jam tum erat nominis, vocatus fuit. in qua annos aliquot Lucam Trelcatium Patrem, divinæ cujuſdam pietatis ac facundię virum, mox & Filium, in primis vero magnum illum Franciſcum Iunium, cum quo & affinitate ſe conjunxit, collegas habuit. cui Iacobus Arminius, ingenij ac iudicij acerrimus, deinde ſucceſsit. Tandem cum Senatui Populoque Middelburgenſi, de illuſtri apud ſuos ſchola inſtituenda cogitare viſum eſſet, honorificè ab ijs invitatus, ut nimirum Eccleſiam paſceret, quod ſubinde Lugduni fecerat, & Hebręas litteras, ſimul ac Theologiam doceret, eò ſe contulit. Linguas plures præter patriam didicit; ſed pręſertim quibus eruditi cen-

ſentur, Latinam, Græcam, & Hebraicam. Hanc à Iudæis, & in primis accuratè.

## Scripta ejus hæc ſunt.

*Marſilij Patavini defenſor pacis Notis illuſtratus.*

*Conciliatio doctrinæ orthodoxæ dè providentia Dei.*

*Anticoſteri pars prima de diſcrimine Hæreticorum & Catholicorum. 2. de S. ſcriptura.*

*Anticoſteri pars ſecunda, Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti.*

Examen Controverſiarum de Genealogia Xri. It. de textu Matthæi Hebraico Diſſertatio.


## In Francisci Gomari.

*Hoc etiam vobis patriæ debetur Athenæ,*
*Hoc etiam Brugæ quod numeretis erit.*
*Sin pudet, ut nunc eſt, mea patria: ceſſimus ultro.*
*Exilium tectis prætulit ille iuis.*
*At vos poſteritas hoc ſaltem diſcite teſte,*
*Quid patriæ poſſit, quid pietatis amor.*

D. H.



GV-




GULIELMUS CODDÆUS
LINGUÆ S. PROFESSOR.

# GVLIELMVS CODDÆVS.



ULIELMUS CODDÆUS honestissimis parentibus oriundus, natus est Lugduni Batavorũ anno cIↃ IↃ LXXV, quarto aut paullo amplius mense post solutam ejusdem Vrbis durissimam obsidionem, ob quam bono publico strenuissimè toleratam, eodem illo ipso anno ad octavum Februarij publicâ Academiâ βραβεῖα loco donata & cohonestata fuit. Ac quidem ingruente obsidione Parentes ejus Rheniburgo in urbem habitatum concesserant: sed pater Delphos inde profectus atque per interjecta mox castra reditu in urbem prohibitus, durante obsidione ibidem deinde commorari debuit; quum gravidam interea matrem luctuosissimæ illius obsidionis tædia cum maxima inedia & summo animi angore devorare oporteret. ingenij non pœnitendi in ipso statim ætatis exordio spem faciens, ad studia destinatus est. Ac quidem prima studiorum suorum tyrocinia sub Nicolao Stochio Viro pientissimo & iuventutis institutore felicissimo emensus & ab eo rude donatus, ad Academiam

miam ulterius mox ſe contulit, inque ea deinde totos continuos decẽ & quod excurrit annos exegit; humanioribus literis operam navans, itemque Græcę & Hebræę linguis: ſed Hebræę tamen imprimis, manuductoribus ad eam rem uſus (preter Iudæos, quorum aliquot privatim adhibuit,) duobus Franciſcis; Raphelengio videlicet & Iunio: viris quaquaverſum celeberrimis & nonniſi cũ præfatione nominandis. Sed multo maxime tamen in S. Theologiæ ſtudijs, partim lectiones frequentando, partim publice juxta ac privatim multoties diſputando, ſeſe ſemper exercuit; L. Trelcatij ſẽioris, F. Gomari, ſed maxime tamen Franciſci Iunij per annos novem auditor uſque adeo aſsiduus ut toto illo tempore vix decem illius lectiones intermiſerit; cujus proinde quam plurima penes ſe non minimi pretij dictata habet. Ac quidem cum propter obitum Franc. Raphelengij, Nobiliſsi^mis^ atque Ampliſsi^mis^ DD. Curatoribus ad linguæ ſanctæ profeſsionem (quam per proviſionẽ ut loquuntur una cum profeſsione Theologica ſuſtinuerat aliquandiu ſupra nominatus D. Franc. Iunius) conſultum videretur vocare aliquem, quem conſentiens omnium fama & ſpecimina aliquot publica, in hac lingua noni nfeliciter verſatum eſſe
fidem

fidem faceret; solemniter ab illis ad eam ordinariè subeundam vocatus, atque anno cIↃ. IↃ. CI. die octavo Septembris cum bono Deo feliciter illam auspicatus, in eadē adhuc statione, quamdiu eidem Deo placebit, perseverat: jamque in eo aliquamdiu fuit, ut Arabicæ linguæ notitiam cujus jam ante aliquot annos sub Philippo Ferdinandi fundamenta jacere cœperat, cum Hebrææ, Chaldææ, Rabbinicæ &c. linguarum cognitione (peritissimum in Arabica lingua ut & cætera orientalibus in linguis virum, D. M. Erpenium Collegā simul & ἐργοδιώκτην sortitus) quoad usque licebit, conjungat; hoc fini, ut professioni suæ ex usu publico tuendæ, hac quidem etiam ex parte magis par esse possit, atque ad ea, quæ jam diu circa S. scripturas molitur μελετήματα, paratior aliquando accedat.

## Scripta.

*EDidit Notas ad Grammaticam Hebræam Martinij Navarri Morentini.*

*Orationem in laudem Celeberrimi Mathematici D. Rudolphi Snellij funebrem.*

*Declarationem D. Iacobi Arminij, quâ coram Potentissimis Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus sententiam suam explicuit de Prædestinatione, providentia Dei, & id genus alijs doctrinæ capitibus, in linguam latinā a se conversam.*

*aliaq; minoris momenti quædam.*

LVCAS


LUCAS TRELCATIUS FILIUS
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

# LVCAS TRELCATIVS F.



Atus Londini, patre ob religionem profugo, anno cIɔ. Iɔ. LXXIII. Ætatem primam Bruxellis, Antverpiæ, & Lugduni Batavorum egit, ſub Orydrio, Carpenterio, Stochio. Annum vix egreſſus XVII concionibus ad populum habendis, admotus eſt; jam tunc ſcilicet

*Ante annos animumque gerens, curasque viriles.*

Docendi exercitia peregrinationes excepere, non illæ iuueniles, otij tranſmittendi cauſa inſtitutæ, ſed quæ athletam Dei exercerent. Ergo ſimul atque Heidelbergam venit, Eccleſiam Gallicam rogatu preſbyterij totos menſes ſex fideliter Divino verbo pavit; & digreſſus inde Baſileæ, Tiguri, Genevæ, optimo cuique atque erud itiſsimo gratus & acceptus fuit; quodque Genevæ vix unquam cuiquam, hoc iſti noſtro delatum eſt, ut in tantâ eruditorum, piorumque & diſertorum Miniſtrorum copiâ, ipſe licet adhuc adoleſcens in Eccleſiâ audiretur : applaudentibus Beza & Goulartio. Revocatus inde, non delicias cogitavit, non otium, non voluptates,

tates, non uxorculam; ſed crucem Chriſti, & gementes ſub tyrannide Antichriſti eccleſias, partim conſilio amicorum, partim propriâ deliberatione experiri inſtituit, & in ijs ſe Deo & ſancto Chriſti gregi probare. Sed & ipſum Aquiſgrano ad ſuos in Bataviam remeantem excepit non levis terror. Captus enim à Buſcoducenſibus, cum nihil niſi mortem & extrema quęque expectaret, ſubitò amicorum operâ elapſus eſt. Atque ita Lugdunum Batavorum poſt biennij peregrinationem venit, curamque fidelem ex eo tempore primùm Eccleſiæ, poſteà defuncto patre Academiæ præſtitit: donec conſummato curſu ſuo in cæleſtem patriam & contubernium ſanctorum evocatus eſt, ingenti ſuis relicto mœrore. Obijt XII. Septembr. anno Chriſti cIɔ. Iɔ. C. VII. ætatis ſuæ XXXIV.

## EPITAPHIVM.

*POſtquam tot Chriſti famulos, tot lumina mundi,*
*Funeribus denſis merſit acerba dies,*
*Te quoque* TRELCATI, *media florente juventa*
*Mors comitem tantis addidit atra viris,*
*Ut pullo ſquallens Eccleſia fleret amictu,*
*Fleret Athenæi muta cathedra tui.*

*Hæc te paſtorem deſiderat, illa magiſtrum,*
*Utraque dat lacrymas orba parente ſuo.*
*Juſtus utrique dolor. tu parte beatior iſta es,*
*Quod tali potius tempore raptus obis,*
*Quo fas omne perit, quo non amor ullus honeſti eſt,*
*Cumque ſua juſtos mors pietate petit.*
*Quod niſi ſublatis juſtis te fata tuliſſent,*
*Tempus erat juſtos te moriente mori.*

IOSEPHUS SCALIGER AMICO.

## Scripta iſta ſunt.

IN*ſtitutiones Theologiæ.*
*Tractatus De brevitate vitæ, Gallicè.*
*Antidotum contra Peſtem.* Nondum editus eſt.
*Apparatus ad S. Scripturam.*




IACO-



IACOBUS ARMINIUS S.S.
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

# IACOBVS ARMINIVS.



Oc præclarũ ingenium Oudewatria extulit, ad Isalam in Hollandiâ, oppidulum patria clarissimorum virorum, *Johannis de Veteri Aquâ*, *Cornelij Valerij*, & *Rudolphi Snellij*. Natus est anno cIↃ. IↃ. LX. Patre orbus à Theodoro Æmylij, viro honesto ac gravi, literis in Scholâ Vltrajectinâ mancipatur. quo mox vitâ functo, Rudolpho Snellio ducente, Marpurgum in Hassiam concessit, anno cIↃ. IↃ. LXXV. ubi cum intellexisset excisam ab Hispanis patriam, ruinas videre cupidus, ijs collustratis iterum in Hassiam iter instituit. Interea Illustrissimi principis Auriaci auspicijs erecta est nova in Batavis Academia: quod ubi famâ accepisset, domuitione in patriam institutâ, Roterodamum venit, quo patriæ Oudewatræ reliquiæ, & cives Amstelodamo ob religionem profugi concesserant. Inde in novam, quam dixì, Academiam ablegatus, tantum profecit, ut à Lamberto Danæo, viro celebri, industriæ ac diligentiæ exemplum cæteris studiosis publica collaudatione proponeretur. Ad Theologiam

giam Philoſophiamque ingenium applicuit, & in intima ſe utriuſque adyta penetravit. Atque hæc ad annum uſque cIↄ. Iↄ. LXXXII. quo S. P. Q. Amſtelodamenſis Genevam uberioris profectus capiendi causâ ipſum miſit. Ibi Theodorũ Bezam, magni nominis Theologum, cum aliquandiu audiviſſet, Baſileam migravit, ubi ſummus ingenio & doctrinę ejus honos habitus fuit; adeò ut Genevam iterum diſceſſuro Doctoris titulum ſumptu publico facultas Theologica detulerit, quem modeſtè recuſavit. Genevam reverſus, exactò illic aliquo tempore, motus famâ Iacobi Zabarellæ, qui tunc Philoſophiam Patavij ingenti ſtudioſorum concurſu profitebatur, Italiam abijt, quâ per ſeptem mẽſes colluſtratâ, Genevam pedẽ reflexit. Inde poſt aliquot menſes à Mœcenatibus ſuis revocatus, cũ luculentiſsimo doctrinæ teſtimonio reverſus eſt. Ibi magnâ cũ exiſtimatione functus miniſterio per annos XV. à Curatoribus Academiæ Leidam vocatur, ægreque dimiſſus à ſuis, munus Profeſsoris adijt anno cIↄ. Iↄ. C. III. Profeſsione laudabiliter geſtâ, cum de quibuſdam Theologiæ capitibus ſeorſim ſentiret, à multis variè exagitatus, vir animi mitiſsimi, & tam duro exercitio impar, dolore confectus in morbum in-

cidit

cidit lentum ac gravem; cum quo aliquandiu conflictatus vivere desijt XIX. Octobris, Anno clↄ. Iↄ. C. IX. ætatis XLIX.

## EPITAPHIUM.

*Subtilis ille sensuum, potens fandi,*
*Sed cura semper prima cui morum fuit,*
*Appellat omnes hîc jacens* ARMINIVS,
*Ne disputare maluerint, quam vivere.*

## Scripta hæc sunt.

*Disputationes de diversis Christianæ Religionis capitibus.*
*Orationes, itemque Tractatus insigniores aliquot.*
*Examen modestum Libelli Guilhelmi Perkinsi de Predestinationis modo & ordine, itemque de amplitudine gratiæ divinæ.*
*Analysis capitis* IX. *ad Romanos.*
*Dissertatio de vero & genuino sensu cap.* VII. *Epistolæ ad Rom.*
*Amica Collatio cum D. Francisco Iunio de Prædestinatione per litteras habita.*
*Epistola ad Hippolytum a Collibus, &c.*

## IN IACOBI ARMINII.

Qvi nunc per altas aurei cœli domos
Regnat beatus; & suo junctus Deo
Humana celsus spernit ac nescit simul;
Sic, Hospes, ora magnus ARMINIVS tulit.
Cælare mores atque dotes ingenî,
Doctumque pectus quod fuit (sed heu Fuit)
Manus nequivit artifex. & quid manus?
Efferre cum non lingua non stylus queunt.

*J. Reael.*

CONRA.



CONRADUS VORSTIUS SS.
THEOLOGIÆ DD. ET RROFESSOR.

# CONRADVS VORSTIVS.



NATVS est Coloniæ Agrippinæ in Vbijs, loco honesto, patre Theodoro Vorstio, matre Sophia Starckia. Quæ utraq; familia illo loco jam olim satis clara est. Puer in patria, inde à prima ætate, bonis literis innutritus, cum circiter octavum ætatis annum explesset, studio reformatæ Religionis, cui pater p. m. impensé favebat, Bedberam in vicinam Menapiorum regionem ablegatur anno cIↃ. IↃ. LXXVII. Vbi logicas artes, cum latino græcoque sermone, cumque doctrina Catechetica, sub industrio præceptore totum quinquennium addidicit. Inde circa annum cIↃ. IↃ. LXXXII. Dusseldorpium missus, studium linguarum & philosophiæ Rameæ, qualis ibi tunc vigebat, triennium ferè continuavit. Hinc anno LXXXV. in patriam revocatus, & paulò post Aquisgranum missus, philosophiam Peripateticam cum Ramea non segniter conjunxit: præsertim anno LXXXVI. & LXXXVII. cum in Laurentiano Gymnasio, quod Coloniæ celeberrimum est (libertatem Religionis à Regente solemniter ante

antè pactus) curſum, quem vocant, philoſophiæ abſoluit; dignus a pręceptoribus tunc judicatus, cui Magiſterij gradus tribueretur. Sed hunc honorem, quia ſine juramento fidei Romano-Catholicæ obtineri non poterat, l. m. q. repudiavit. Atque hoc tempore ad S. Theologiam (amicis diſſuadentibus, & alijs ad ſtudium juris, alijs aliò hortantibus) inſtinctu maximè ductuque Optimi viri Ioh. Badij, verè Theologi, animum ſeriò applicuit. Quod ſtudium deinde in alijs Academijs, & Scholis illuſtribus, præſertim Herbornæ ferè quadriennium, & Heidelbergæ penè triennium, tum præceptores publicè audiendo, tum privatim alijs prælegendo ita tractavit, ut tandem anno XCIV. Theologiæ Doctor Heydelbergæ à Clariſs. viris Dan. Toſſano, Iac. Kimedoncio, & Petro Calamino publicè creatus ſit. Poſtea cũ ſuperiorem Germaniam, Helvetiam, partemque Galliæ, peregrinando luſtraret, non paucis paſsim viris Eximijs maximè Theologis, honeſtè innotuit. Et Baſileæ quidem anno XCV. diſputationibus Theologicis pro D. Grynæo, non ſemel præſedit. Genevæ verò aliquandiu hortante inprimis D. Beza, in Academia publicé docuit. Vbi & ſolenniter ad profeſsionem Theologicam ab Ampliſsimo Vrbis Senatu vo-

catus fuit: quam tamen necessarijs de causis, in patriam retractus, non acceptavit. Anno xcvi. ab Inclyto Comite Benthemensi, &c. D. Arnoldo p. m. Steinfurtum ad similem professionem, unaque Ecclesiæ pastoratum, legitimé accersitus, in Dei & pij Principis voluntate acquievit. Vbi professionem annos pene xvi. pastoratum verò simul circiter septennium, cum bona omnium auditorum gratia obivit: adhibitus etiam superiori Consistorio, quod causis matrimonialibus, & examinandis S. Ministerij candidatis, præesse illic solet. Interea dum hic est, ab alijs viris Principibus, & Ecclesijs, non semel alio vocatus fuit: nominatim anno cIↃ. IↃ. c. ii. ab Illustri viro D. Plessæo, & Ecclesiâ Salmuriensi, ad Academiam tunc recenter illic fundatam: Et anno cIↃ. IↃ. c. v. & cIↃ. IↃ. c. vi. ab Illustrissimo Principe D. Mauritio Hassiæ Landgravio &c. ad Academiam Marpurgensem. Sed persuasus à suis, in statione vetere permansit. Tandem anno cIↃ. IↃ. c. x. à Nobilissimis Academiæ Lugduno Batavæ Curatoribus invitatus, accedente Illustrissimorum Ordinum & Celsissimi Principis Mauritij Nassovici &c. pia voluntate licet ob Theologicas, quæ ibi inciderant, lites assensum toto pene anno suspenderet; & à suis æger-

ægerrime avelli posset: tamen quum, omnibus utrimque expensis, operā suam fructuosius ibidem ad Christi gloriam collocari posse crederet, anno demum cIↃ. IↃ. C. XI. suis illam renunciavit, & Belgis addixit, inque ordinem professorum legitime vocatus fuit, sed crescentibus interea Ecclesiasticis rixis, ac turbis, cùm familiam eo jam traduxisset, ne viri boni officio uspiam defuisse videretur, ex consensu superiorum, jure suo cedens, a professione actuali hactenus abstinuit, & sedem in eadem provincia quietiorem alibi delegit: donec controversiâ totâ (quæ fervide à multis hactenus ipsi mota fuit) à supremo Magistratu ritè cognita, legitimeque decisa, munus suum pacaté ac tranquillé obire possit. Quod quidem à Deo unice optat, & meritò sperat.

## Hactenus ab eo edita sunt, quæ sequuntur.

*Disputationes supra 20. de varijs S. Theologiæ locis, diversis temporibus emissæ, inde ab Anno 1594.*

*Idea S. Theologiæ. Anno 1696.*

*Apologia pro Ecclesijs Orthodoxis, contra Iesuitas.*

*Antapodixes contra eosdem, de tribus fidei articulis.*

*Diatribe Epistolica cum ijsdem Iesuitis.*

*Antipistorius, sive Tesseradecas contra Doct. Pistorium.*

*Enchiridion controversiarum, siue Index Errorum Ecclesiæ Romanæ.*

*De Causis deserendi Romani Papatus, Disputationes.*

*Anti Bellarminus contractus, seu brevis Refutatio 4. Tomorum Bellarmini.*

*Tractatus Theologicus de Deo.*

*Exegesis Apologetica, pro eodem Tractatu.*

*Responsio Modesta ad Anglicos articulos.*

*Prodromus adversus criminationes fratrum quorundam.*

*Plenius Responsum ad easdem.*

*Catalogus Errorum Doct. Sibrandi Lubberti.*

*Oratio Apologetica, apud Illust. Ordines habita.*

*Parasceve ad Collationem cum Ioh. Piscatore.*

*Amica collatio cum eodem.*

*Parænesis ad Doctorem Sibrandum Lubbertum.*

*Scholia Alexicaca ad ejusdem de Prædestinatione, &c.*

Edidit & germanica quædam v. grat.

*Librum precum.*

*De indulgentijs veris & falsis.*

*Concionem funebrem de morte Illust. Dn. Comitis senioris in Benthem, &c.*

*Apologiam contra Ecclesiastas Leowardienses, &c.*

Habet secum alia plura, nondum edita: partim perfecta, prȩsertim Elenchtica, & Apologetica quȩdam: partim affecta, ut Commentarios in omnes ferè Apostolorum Epistolas, & conciones in Euangelia Dominicalia: item Adversaria in Disputat. Metaphysicas Fr. Suarez. aliaque id genus tum philosophica, tum Theologica: quȩ suo tempore, si Deus vitam & ocium porrò dederit, in publicum edere decrevit, ad veritatem (præsertim quæ secundum pietatẽ est) in omnibus magis magisque illustrandum. Cui proposito Deus ex alto gratiose benedicat.

OGDO-

## OGDOASTICHON.

PLurima pro sacra vocor ad certamina causâ
Et mihi non uno surgit ab hoste labor.
Lis fœcunda sui qua desinit, incipit. Eheu,
Quod cogar socijs dicere bella meis!
Ausonijs modo terror eram, spoliataque dudum
Vel Bellarmino vindice, Roma fuit.
Nunc fratrum in me versa cohors, & prodiga zeli
Æmula civili prælia Marte gerit.
Nec calamo stant bella virûm: deposcitur ipsis
Victima, & insontis supplicium fidei.
Sed medijs erecta malis mens conscia recti,
Freta Deo, nulli succubat Invidiæ.
At vos posteritas tumulo hæc inscribite verba,
Posthuma fortunæ signa futura meæ:
Nulla Reformatâ mihi pars dilectior unquam,
Nulla, Reformatâ, pars minus æqua mihi.

C. B. S.



IOHAN-


PIE ET PRVDENTER.
IOANNES POLYANDER. SS.
THEOLOGIÆ PROFESSOR.

IO-

# IOHANNES POLYANDER.



OHANNES POLYANDER, filius Iohannis Polyandri, Ecclesiastæ quondam Emdani, sacrarum literarũ ac linguarum peritissimi ex Patritia Gandavensium familia dicta, *Van den Kerckhoven*, oriundi, ac piæ matronæ *Christianæ van Houten*, Flandræ, natus est Metis, Anno cIↄ. Iↄ. c. LXVIII. die Martij XXVIII. Vnde anno sequente parentibus suis in Palatinatu Religionis causa exulantibus, ab ipsis Franckendaliæ biennium fuit educatus. Hinc patre ipsius ad Verbi divini Ministerium à Gallo belgis Emdæ peregrinantibus vocato, in Scholis primum Gallicæ, deinde Latinæ & Græcæ linguæ usque ad annum XIV. operam navavit. Inde à parentibus Bremam missus, *Christophori Pezelij* aliorumque doctissimorum virorum lectiones biennium audivit. Hoc evoluto, jactisque ibidem Philosophiæ ac linguæ Hebraicæ fundamentis, Heidelbergæ quadriennium in palæstra Philosophica ac Theologica desudavit, suorumque præceptorum *Danielis Tossani, Francisci Junij, Georgij Sohnij* ac *Fortunati Crellij*

utens consuetudine, tam publicè, quam privatim declamando ac disputãdo sub ijs se exercuit. Anno ætatis suæ xx. Genevam studiorum suorum absolvendorum caussa profectus, *Theodori Bezæ* atque *Antonij Faij* lectiones ædesque frequentavit: Ibidemque familiariter usus est eximio Theologo *Antonio Sadeele*. Anno sequente ab Ecclesijs Gallobelgis in Belgium vocatus, postquam Leidæ aliquot menses substitisset, publicumque sui progressus specimen in nonnullis Ecclesijs Gallobelgicis edidisset, ab Ecclesia Dordracena ad munus Pastorale vocatus, eam annos viginti Verbi divini pabulo summa cum tranquillitate pavit, atque Amplissimi Senatus postulatione Logicam & Ethicam in schola eâdem extra ordinem triennium cum dimidio professus est. Anno ætatis suæ XLIII. a Nobiliss. DD. Curatoribus Academiæ Lugduno Batavæ ad professionem Theologicam evocatus, non minus ægrè à Magistratu, quàm ab Ecclesia totáque civitate dimissus fuit. In qua vocatione triennium jam versatur.

## Opuscula ipsius hæc sunt.

*Varia poemata Genevæ & Heidelbergæ ab amicis ipsius evulgata.*

*Harmonia locorum S. Scripturæ prima fronte invicem discrepantium ab ipso ordine disposita*

*sita, Gallicè.*
*Historia Andreæ Demetrij de Græcorum ortu & interitu, è Belgico in Gallicum sermonem translata.*
*Theses Logicæ atque Ethicæ.*
*Disputatio adversus Invocationem sanctorum, Gallicè.*
*Responsio ad interpolata Anastasij Cocheletij Doctoris Sorbonistæ ac Monachi Carmelitæ Sophismata.*
*Disputatio contra Adorationem Reliquiarum Gallicè.*

Cætera quæ Lugduni-Bat. meditatur, aliquando, Deo juvante, in lucem emittet.

Antonius Fayus S^æ Theologiæ Professor Iohanni Polyandro suo Geneva in Belgium revertenti scribebat IV. Kal. Martij Anno CIↃ. IↃ. XCI.

*NVnquam non alia ex alijs in bella vocantur*
*Dura pij; bello cinctam, qui, IANE, Genevam*
*Linquis, jens Christi legatus, pacis ut almæ*
*Dona feras illis Christum qui pectore gestant,*
*Bella parata vide: pacemque optare memento,*
*Non sperare. vides migranti nubila cælo*
*Vt princeps erebi conjuratique malorum*
*Conglomerare greges properent, & quicquid in orbe*
*Lucis habet vivæ Christi sol aureus, atris*
*Obscurent sparsis non una fraude tenebris?*
*At tu non molli succinctus robore, contrà*
*Audens ire velis: quanquam discrimina mille*

*Ordine perpetuo, pugnandaque prælia surgant.*
*Nil formidandum Christo duce, qui tibi pugnis*
*Millenis claro, millena tempora lauro*
*Vestiet, & tuto tandem te littore sistet.*

## In Iohannis Polyandri effigiem.

*QVem voluit lapsis paulatim occurrere rebus*
*Versa suas in se maxima* Leida *manus,*
*Hoc vultu* POLYANDER *erat: pax candida vultum,*
*Et prudens habitat simplicitatis amor.*
*Non satis ingenium est, plus nunc Academia poscit.*
*Concordes animos debeat illa tibi.*

D. H.



SI-



SIMON EPISCOPVIS. SS. THEOLOGIÆ PROFESSOR.

# SIMON EPISCOPIVS.



IMON EPISCOPIVS, natus est Amstelodami, celeberrimo Hollandię in emporio, Anno cIↄ. Iↄ. LXXXIII. parentibus honestis & reformatæ religioni cumprimis addictis: qui, quantumvis prole numerosâ aucti essent, & re non ita lauta uterentur, ut sustinendis studiorum sumtibus pares esse possent, tamen cum in eo animi ad studia propensius inclinantis indicia quamplurima elucescerent, incitante & exstimulante fratre natu maximo, privatimque subsidium ultro benigné offerente Viro Consulari, D. Cornelio Benningo, literis eum studijsque consecrare animum induxerunt: Missus itaque quamprimum sub disciplinam D. Petri Vekemanni Rectoris Scholæ per id tempus non incelebris, ejusmodi ingenij industriæ & sedulitatis specimina edidit, ut a varijs magni nominis Viris, Amplissimo Senatui Reipub. Amstelodamensis de ciuibus in ordinem alumnorum suorum adsciscendis, pié & serió cogitanti, commendatus fuerit, qui eum licet reluctantibus & tergiversantibus non parum

rum in principio parẽtibus tandem tamen consilio hortatui, & suasioni, prudentissimorum virorum D. Petri Vekemanni, D. Iohannis Kuchlini & D. Iacobi Arminij, cedentibus, suum inposterum esse voluit: Ex illo deinde tempore eos studiorum suorum Mæcenates liberalissimos & munificentissimos habuit. Neque multo post Anno cIɔ. Iɔ. c. a Curatoribus Scholæ, solemni sentẽtia & suffragio dignus renunciatus est, qui in Academiam ad altiora studia capessenda promoveretur. In Collegium itaque Illust. DD. Ordinum Holl. & West-Fri. quod ei præesset Clariss. Vir. D. Iohannes Kuchlinus, cum quo parentibus ejus, quo tempore apud Amstelodamenses ministerio Ecclesiastico fungeretur, arcta necessitudo intercesserat, ablegatus est. In eo autem postquam literarum humaniorum studijs, quantum necesse erat, non segniter operam dedisset, Philosophiæ, cujus cognitionem sibi perquam necessariam ducebat, sacris attentius operari & penitius arcanis ejus perlustrandis, incumbere constituit: & incubuit per triennium integrum summâ cum diligentia: postea vero etiam cum Theologiæ studio animũ adjunxisset eique non oscitanter invigilaret, subinde ad eadem Philosophiæ adyta recurrere solebat. Tandem

dē vero partim legibꝰ & statutis Collegij partim rebus ipsius privatis ita postulātibus, Magisterij titulo in Acedemiâ dignus judicatus & a Clarissimo celeberrimoque Matheseos profess. D. Rudolpho Snellio Anno cIↄ. Iↄ. cvi. publice insignitus est. Crina vero Theologiæ, cui jampridem animum studiumque addixerat & in qua non parvos progressus fecerat, consecratum se destinatumq; sciebat, totum sese deinde & ex asse illi uni dedere, apud animū proposuit: cumq; voto & desiderio peregrinationis, quo admodū tenebatur, potiri non posset, biennium & ultra in Academia Leidensi subsistere coactus est. Interea vero doctrina & famâ Clarissimorum Profess. D. Gomari, D. L. Trelcatij & D. I. Arminij inprimis lectiones adsiduus coluit & frequentavit, meditando, legendo, disputandoq; creberrimè & diligentissime sese exercuit. Postea Anno cIↄ. Iↄ. cix. desiderio visendi vicinam Frisiorum Academiam, & fama imprimis Clariss. Viri & sacræ linguæ Veterani interpretis, D. Ioannis Drusij excitatus, Franequeram se contulit, ibidemq́; per menses novem commoratus est. Exinde Anno cIↄ. Iↄ. c. x. reversus Amstelodamum ab Ampliss. Senatu Roterodamēsi Bleyswicum dominio illius subditum, ad ministerium Ecclesiasticum

ſiaſticum vocatus eſt: ubi cum Deo & bonis omnibus operam ſuam probaret, colloquio inter duodecẽ paſtores in conceſſu Illuſtriſs. DD. Ordd. Holland. & Weſt-Friſiæ anno cIↄ. Iↄ. cxi. inſtituto, adhibitus eſt: inde cum ab Ampliſs. Civitatibus ad Eccleſiaſticam functionem ſolicitaretur, tandem a Nobiliſs. & Ampliſs. DD. Curat. Acad. Lugd. Batavæ ad profeſsionem Theologicam anno cIↄ. Iↄ. cxii. evocatus eſt, cui provinciæ gerendæ licet difficillimis hiſce temporibus imparem eſſe ſe intelligeret, tamen judicio aliorum de ſe plus quam ſuo priprio tribuens, authoritate imprimis & hortatu Maximorũ virorum incitatus vocanti Deo acquievit, jamque biennium & quod excurrit non ſine ſupremi Numinis auſpicio & benedictione clementiſsimâ in profeſsione iſtâ verſatus eſt.



# ICONES & VITÆ

quotquot haberi potuerunt,
eorum qui
*IVRISPRVDENTIAM*
in
ACADEMIA LVGDVNO-BATAVA
unquam profeſsi ſunt:

*Juxta ſeriem temporis, quo quiſque eorum, ab ipſo Academiæ primordio, profeſſionem ſuam auſpicati ſeq; mutuo inſequuti ſunt,*

ordine hic induſtriè & fideliter exhibitæ.

COR-
NELIVS
GROTIVS IVRIS-
PRVDEN-
TIÆ PRO
F E S-
SOR.

# CORNELIVS GROTIVS.



ORNELIVS GROTIVS natus eſt in oppido Delpho, Hollãdiæ magnarum urbium tertio, die 25 Iulij qui D. Iacobo ſacer, anno 1544. Patrem habuit Hugonem Grotium, virũ antiqua virtute & opibus pollentem, ex patriciâ Grotiorum familia, quæ in repub: Delphenſi totis quadringentis annis continuis illuſtris, etiam huc uſque conſulatibus, & ſummis reipub: honoribus decoratur. Mater ipſi fuit Eliſæa Heemskerckia ex præcipuâ Hollandiæ nobilitate & opulẽtiſsimâ, niſi ſub comite Hollandiæ Florentio Quinto cum Gerardo Velſenio, cui conſanguinitate fuerat juncta, Fortunę experta ludibria, majore bonorum parte & patrijs laribus exuta fuiſſet.

Puer in patriâ prima litterarum & artium liberalium fundamenta jecit ſub ductu Henrici Iunij, viri litteratiſsimi, & optimi juventutis informatoris, ubi commilitones habuit quam plurimos Hollandiæ nobiles ac magnates, inter quos magnum illum & incomparabilem Ianum Duzam Nortvici Dominum verum nobili-

nobilitatis Hollandiæ decus. Iacobum Egmondum equeſtris ordinis virum, Keneburgi Dominum, illuſtrium Ordinum Hollandiæ etiam nunc primatem. Iacobum Eyndium Virum Marte & Pallade nobilem, urbis & arcis Wourdanæ præfectum; cum quibus omnibus arctiſsimam amicitiam toto vitæ curriculo ſanctiſsimè coluit.

Adoleſcens à patre miſſus eſt Lovanium tunc temporis celeberrimum Europæ ſcientiarum emporium: cumque Themidi conſecratus eſſet, ne illotis manibus ſacra puræ Divæ contingeret, primo varijs artibus ſeſe imbuit; per quadriennium continuum Philoſophico ſtudio incubuit, Philoſophiam Platonicam, quippe quam ſolam inter humanæ ſapientiæ ſectas magis divinam, (ut revera eſt) judicavit, adeo avidè amplexus eſt, ut omnia Platonis & Platonicorum ſcripta perſcrutatus fuerit, memoriæ infixerit, ac per totam vitam manu ac mente volutaverit.

Cum vero Grçciam omium ſcientiarum matrem & fontem eſſe animadvertiſſet, magna contentione grçcam linguam penitiſsimè addidicit. Deinde linguam ſacram tam avidè percepit, ut nunquam aliâ linguâ quam genuinâ divina oracula legeret. Matheſin quoque & reli-

quas artes penitus arripuit. Anno ætatis vigesimo Lutetias Parisiorum profectus operam dedit viris litteratissimis & summis Philosophis, ac in primis Auratum Græcę linguæ peritissimũ ac Professorem regium habuit amicum. Ita pectore varijs artibus præparato contendit ad jurisprudentiam, veram illam & non simulatam Philosophiam, cujus perdiscendæ amore Aureliam petijt, ibi usus optimis præceptoribus legittimæ scientiæ studium absolvit, cumque diggnissimus judicaretur à Professoribus gradu Doctoratus, Licẽtiæ laurea decorari voluit, nec unquam post toto vitæ curriculo adduci potuit, ut Doctoris titulum admitteret, ita erat ab omni ambitione alienus. In patriam reversus foro & rebus agendis sese dedit, usus convictoribus viris nobilissimis Arto de Brederode & Theodoro Leeuwio senatoria dignitate postea decoratis: cumque absoluto totius practices curriculo Delphum reversus ædes paternas apud matrem viduam (patre anno 1567 turbulẽtissimis reipub: temporibus vita & consulatu defuncto) inhabitasset, Senatus populusq; Delphensis eum in cõsilium suorum Sapientum cooptavit, ac eodem anno in judicum album adscripsit; innotuit omnibus Grotij probitas & excellens eruditio,
quæ

quæ causa fuit ut Illustrissim9 Princeps Auriacus Gulielmus comes Nassavius harum provinciarum gubernator, magistrum libellorum supplicum eum creaverit. Quo munere summa cum laude & inculpatissime functus est, donec illustres Hollandiæ Ordines anno 1575 publicum Gymnasium erigere statuissent, cui inaugurando & legibus informando pręter cęteros aptissimus judicatus est Grotius, ac primum Philosophiam per aliquot annos professus est, ac deinde Iuris docendi provinciam sibi impositam egregie exornavit, juventutis studia disputando & de jure prompté respondendo mirificè promovens. Sexies Academiæ Rectoratu summà cum prudentià & moderatione sine ullius offensa functus est. Aliquoties supremi consistorij senatorum, quod Hagæ comitis est, senator nominatus, nunquam permoveri potuit ut munus docendi desereret, etsi revidendis maximi momenti supremæ curiæ sententijs adhiberi sese passus fuerit. Tandem gravis ætate piè & placidè obdormivit anno 1610. ipso die quô primum lucem hanc adspexisset, relicta conjuge nobilissima matronâ absque liberis.

Libros nullos edidit, ſed elaboratos quoſdam commentarios ad diverſas Iuris partes conſcripſit. Inter quos

*Abſolutiſſimum commentarium ad quatuor libros Inſtitutionum juris civilis.*

*Ad omnes titulos quatuor primorum librorum digeſtorum.*

*Duos Tomos commentariorum & obſervationum feudalium.*

*Singularem tractatum continentem quinquaginta differentias feudorum, a feudis Hollandicis.*

## In Clariſsimum & ſummum Virum

## CORNELIVM GROTIVM.

*Accipe quem jactes poſt plurima ſæcula, Lector,*
*Nec quo ſpectari dignior alter erit.*
*Grotius hic ille eſt: quo Muſica ſceptra gerente*
*Lugdunum felix & ſine lite fuit.*
*Non illum Themidis laluere oracula, non-qui*
*Socratico dulcis manat ab ore lepos;*
*Æternum ſolitus cunctis præferre Platonem,*
*Non tamen & Macetum ſpreverat ille ſenem.*
*Hauſerat Aſtreæ puras e fontibus, illas*
*Quas nunc barbaries non bene turbat aquas.*
*Sola quies placuit. mentis quoque dona beatæ*
*Preſsit, & in vulgo nil tulit eſſe ſuum.*

*Nunc*

*Nunc quoque quod nulla ſpectatur imagine, pingi*
*Crede mihi tanto dignior ille fuit.*
*Sola virum preſsit divina modeſtia ſemper,*
*Et ſola ante omnes collocat illa virum.*

D. H.

## IN EVNDEM.

*HIc rerum cauſſas docuit, dîamque Matheſin,*
*Atque ita ſe totum legibus inde dedit:*
*Doctrinaque ſua decus immortale paravit,*
*Cecropium referens pectore & ore ſenem.*
*At nullam vultus, ſi quæras forte, reliquit*
*Effigiem, ingenij quam monimenta ſui.*
*Sæpe hoc Lugdunum ſenſit Rectore quietem,*
*Diſſidij longis exagitata malis;*
*Idcircò a Stygio nomen jam vendicat amne,*
*Et cineres placida Leida quiete fovet.*

G. G.



HUGO DONELLUS IC.
ET IURIS PROFESSOR.

HVGO

# HVGO DONELLVS.



N Heduis natus Anno cIↃ. IↃ. XXVII. inter præcipua Galliæ suę ornaméta locum sibi non infimum vindicat. Decurso scholæ stadio ad Iurisprudentiam animum applicuit, in qua tantos cum ętate progressus fecit, ut inter primos sui ævi merito Iureconsultos habitus fuerit. Insignia Doctoratus accepit a manu Fr. Duareni, magni Themidos antistitis, & quem nullus Europæ angulus ignorat. Memoria præ cæteris adeo præcellebat, ut totum Iuris corpus a capite ad calcem verbo tenus recitaret. Docuit Biturigibus, & Aureliæ summa cum laude, & maximo Auditorũ fructu, Sed singulari pietate sua odium provocavit eorum qui religionis reformationem animis iniquissimis persequebãtur, adeo ut anno illo Galliæ funesto, multis crudelissime interfectis in nuptiis Navarræi, in manifestissimo quoque periculo fuerit, a quo mirabiliter tamé servatus, fideli opera & felici ductu quorundam nobilium Germanorum, qui studiorum caussa illic commorati, salvum atque incolumem in Germaniã abduxerunt. Atque

illic aliquot annos in Heidelbergenſi Academiâ ſub Friderico & Ludovico Electoribus, jus civile cum maxima Auditorum admiratione docuit. Inde ob graves cauſas, legitimam vocationem nactus, Lugdunum Batavorum commigravit; ibique annis aliquot fideliſsime in profitendi munere exactis, anno cIↄ. Iↄ. LXXXVIII, in Germaniam iterum abijt. Hic a Senatu Norico Altorphium vocatus, vixque per triennium jus profeſſus, qua ſolebat fama, vitam cum morte commutavit anno cIↄ.Iↄ. XCI. ætatis LXIV.

Monumento ejus hæc inſcriptio appoſite.

HVGO DONELLVS HEDVVS NVLLI IVRIS-
CONSVLTORVM NOSTRI SECVLI SECVN-
DVS IN GALLIIS INITIO MOX INDE CIVI-
LI BELLO FLAGRANTE SECEDERE COAC-
TVS HEIDELBERGÆ DEINDE LVGDVNI
BATAVORVM DENIQVE ALTORPHII MA-
GNA CVM OMNIVM ADMIRATIONE ET
CONCVRSV EXTERORVM IVRA FACVN-
DO ORE DOCVIT DEO ET HOMINIBVS
AEQVE CARVS SENIO TANDEM CONFEC-
TVS VITAE ET MOLESTIARVM SATVR PIE
AC PLACIDE ANIMAM CREATORI REDDI-
DIT ANNO REPAR. SAL. HVM. M. D. XCI. MEN-
SE MAIO ÆTATIS SVÆ ANNO LXIIII. CVI
BENE MERITO DE ACADEMIA ALTORPHI
NA SCHOLARCHÆ PERENNIS MEMORIÆ
ERGO H. M. P. C.

Scripta

## Scripta hæc sunt.

*Commentariorum de Iure Civili libri* XXVIII.
*Commentaria ad Titul. Digest. de rebus Dubijs.*
*Comm. ad Titulos C. de Pactis & Transactionibus.*
*Comm. ad Titul. Digest. de præscriptis verbis, & in factum actionibus.*
*Comm. ad Titul. Digest. de Verborum Obligationibus.*
*Comm. ad Titul. Digest. de rebus Creditis, de Iureju. de in litem jurand. de cond. ex lege de cōdict. Triticar. de eo quod certo loco dari oportet.*
*Commentar. ad lib. quart. Cod. Iustinian. Paralipomena ad aliquos Iustinian. libros.*
*Ad legem Iustiniani de eo quod Interest. de Vsuris. de Fructibus de Mora. de Aedilicio edicto. de Evictionibus & dupli Stipulatione. de Probationibus. de fide Instrumentorum. de Testibus.*






IV-

# IVLIVS BEYMA.


IVLIVS BEYMA natus Decumi vrbe Frisiorum, patre viro Consulari, Groeningæ sub Celeberrimo Rectore Regnero Prædinio latinæ linguę fundamenta jecit. Adolescentiam ingressus Lovanium à parentibus ablegatus, & ibi Iurisprudentiæ studijs initiatus, præclaros in eadem civili sapienti fecit progressus. Deinde Aureliam Galliæ florentissimam Academiam se contulit, atque ibi publicè titulo Licentiati Iuris cum honore est decoratus. Docuit Vitebergæ, Lugduni Batavorum & tandem in Academia patria Frisiarum Franiqueræ summo cum auditorum fructu & progressu. Postea cooptatus fuit in numerum Consiliariorũ supremæ Curiæ Frisiorum: Cum annum amplius vnum cum honore eodem munere defunctus esset, Leovardiæ metropoli Frisiorum piè & placide vitam cum morte commutavit, Anno cIↃ. IↃ. XCV. ætatis suæ LIX.

## Scripta.

*Commentaria in Ius civile parata reliquit, quæ publicè in Academia Lugdunensi Batavorum prælegit hæc videlicet Methodicum commentarium ad Institutiones Iuris Imp. Iustiniani. Præterea tractatum methodicè conscriptum in universam materiam contractuum. Adhæc in materiam pignorum, item de Vsuris, fructibus, & mora, exquisitum Commētarium ad Leges conscripsit & expoliuit.*



EVER-


EVERARDUS BRONCHORS-
TIUS I.C. IURIS PROFESSOR

# EVERARD. BRONCHORST


DAVENTRIÆ natus eſt, in Tranſiſulania. Pater ei fuit vir doctus, & libris in Philoſophia editis celebris, Iohannes Bronchorſt Noviomagus, I. V. Licentiatus, Rector Scholæ Daventrienſis, & antea Profeſſor Matheſeos in Academia Roſtochienſi: Mater Clara Coſtera, Iohannis Coſteri, Conſulis Daventrienſis filia: Familia & genere uterque perhoneſtus. Fundamenta ſtudiorum & artium jecit in patria, in Schola florentiſsima, ſub præceptoribus parente ſuo, item Baſilio & Lamberto Pythopoëis, viris in politiori literatura eximijs. Tinctus mediocri cognitione humaniorum artium & linguarum, cum patre propter tyrannidem Ducis Albani ex patria in exilium ejectus eſt, ac ad uberiorem ingenij cultum capeſſendum Coloniam Agrippinam ſe contulit. Anno cIɔ. Iɔ. LXIX. Vbi patre poſt annum defuncto, in eadem Academia Literarum & Liberalium artium præceptis plenius imbutus, tandem Iuriſprudentiæ ſtudijs excolendis animum adjecit, ac ſpecimen ingenij publicè diſputando

tando in Collegio Iuridico ibidem ſemel atque iterum exhibuit. Adhæc in eodem Lycæo privatim Titulum de diverſis regulis Iuris antiqui enarrandum ſuſcepit, non ſine mediocri auditorum concurſu, qui poſtea eundem Commentarium rudem & impolitum ipſo ignorante in lucem edi curaverunt. Deinde in alijs celeberrimis Germaniæ Academijs, videlicet Marpurgi, Erphordiæ, & Vitebergæ ſub Clariſsimis Iuris Antecesſoribus, Valentino Forſtero, Vigelio, Weſenbecio curſum ſtudij juridici conſummavit, privatimque in ijſdem Academijs tum Inſtitutiones Iuris, tum alios diverſos Iuriſprudentiæ tractatus explicandos ſumſit. Tandem poſt emenſa legitimę ſcientię ſtudia Baſileam ſe contulit, atque ibidem ſub Clariſsimo ICto Samuele Grynæo gradum Docturæ in utroque Iure publicè eſt conſecutus, die XVII auguſti Anno cIɔ. Iɔ. LXXIX. Poſt adeptum gradum iterum ſe Vitebergam contulit, atque ibi per annum docendo in Iuriſprudentiæ ſtudio ſeſe exercuit. Deinde integro biennio munere publico Profesſoris Iuris in Academia Erphordienſi defunctus eſt. Inde in patriam poſt ſopitos nonnihil tumultus militares reverſus, in Conſulem ejuſdē Reipublicæ eſt electus, Anno cIɔ. Iɔ. LXXXVI.

Quo munere per annum functus, patria sua præsidiariorum militum perfidia Hispano prodita, iterum in exilium abire coactus, tandem consentientibus suffragijs, Curatorum, & Consulum Academiæ Lugdunensis Batavorum, ibidem in numerum Ordinariorum Professorum Iuris electus & adscriptus est, Calendis Iulij anno cIↃ.IↃ. LXXXVII. Dum hoc munus Professoris sustinet, varios tum Pandectarum, tum Codicis titulos tractatusque Iuris publicè enarravit, & interpretatus est. Deinde etiam ad scribendum animum appulit, & primum in lucem edidit *quatuor Centurias* Εναντιοφανῶν, *& conciliationes eorundem.* Adhæc *alias duas Miscellaneas Centurias controversiarum Iuris* adjecit, & deinde *Methodum Feudorum* à se conscriptam diuulgavit, atque ita legalis scientiæ studiosorum conatus & labores pro virili adjuvit & promovit.



GE-



GERARDVS TVNINGIVS
I.VRIS PROFESSOR.

# GERARD. TVNINGIVS.



ERARDVM TVNINGIVM acris judicij & ingenij virũ, Lugdunum Batavorum anno cIↃ. IↃ. LXVI. edidit. Puer inter prima literarum rudimenta, Gallicum ſermonem & Logiſticen in Vrbe patria percepit. Quibus innata jam tum diſcendi lubidine, Hiſpanicum ſimul & Italicum adjunxit. Raro tum in vulgus exemplo, & paucis in hac gẽte uſitato, quæ ſimplicitatis tenaciſsima, morum exterorum odio, tranſmarinas quoque linguas parcius colebat. Anno ſupra decimum octavo, cum Enchuſæ quoque in municipali jure, deſcribendis aſsiduè formulis in foro uſitatis, ut eſt captus adoleſcentium, nonnihil profeciſſet, in Hiſpaniam ablegatur. Vti Vlixbonæ, celeberrimo Luſitanorum oppido, negociationibus Inſtitoriâ curâ præficeretur. Evenit interea ut poſt dies aliquot quam navem conſcenderet, tempeſtas ſubito coorta, adeo infeſtaret mare, ut cum maxima jactura, neque ſine vitæ diſcrimine, nautæ verterent, & in portum redirent. Obnunciantibus videlicet fatis abitu

præ-

præclari & ad alia in terra ſua profuturi aliquando viri. Neque dubium eſt, quin ad nobilioris vitæ genus jam a cœlo vocaretur. Domum reverſus, paulo poſt, tanquam inſtinctu divino, literarum ſtudia, maxima contentione animi cœpit capeſſere, Tanto ardore quidem, ut non ſecus quam in ſtadio, nuſquam prius reſpiraret, quam ad metam veniſſet. Literas Latinas, Græcas, Matheſin, ipſam divini ac humani juris ſcientiam, illas præceptore viro excellenti Rudolpho Snellio, hanc autem maximo Iuriſprudentium Hugone Donello, ſolo quadriennio vix integro abſoluit. contendente cum ingenij benignitate memoria, quam Voraginis inſtar capaciſsimam habebat. Anno admodum viceſimo ſecundo, publicè cum omnium applauſu doctrinæ inſignibus a Donello ornatus eſt. Non peregre, ſed in ea vrbe in qua natus erat. Quippe fœdum & infauſtum tum proficientis primum Academiæ auſpiciis ducebat, ſi urbem quæ ſe peperiſſet, ea gloria immunem haberet, quam ab exteris ſperare tum incipiebat, jam conſequitur. Cæterum ne imbelliorum profectum, in umbra conſumeret, olim quoque & pulverem experiri ſtatuit. Simul ut amorem ſui & contemptum aliorum,

quæ

quæ plerunque ſtudiorum ſolitudinem ſequuntur, evaderet. Hagam igitur ſe contulit. Vbi in conſpectu & in luce hominum, cauſas agere, reis adeſſe, Mercurio denique, non illi cui conſecratus olim fuerat, ſed forenſi & facundiæ antiſtiti, totum ſe dare cœpit. Ita biennio exacto, cum videret, nihil ſupereſſe ſibi, vel ad magni animi experimentum vel ad laudem, cujus, ut præclaræ mentes ſolent, appetens in primis erat, denuo Lugdunum redijt. Vbi tranquillum ac præclarum vitæ genus, jus ex cathedra docendi, Lipſio ac Douſa autoribus, amplexus eſt. Quam provinciam, ſummo ingenio, incredibili facundia, ac promptitudine ornavit. Si quid eſſet publice dicendum coram multis, in quo ingenij periclitandæ eſſent vires, nemo accuratius, nemo diſtinctius, nemo ornatius dicebat. Tanta autem gravitate cathedram implebat, ut cum loqueretur, ipſam Academiam, non hominem in ea natum, loqui crederes. Eloquentiæ erat facilis & expeditæ, compti ſermonis & Latini: cui honeſtum vocis accedebat lenocinium, Iudicio inprimis acri, non in literis modo, ſed & in communi vita, moribus integris, & ad hilaritatem factis, animo vegeto, &, ut ille ait, ſemper defæcato. Ante omnia nulli invidere mortalium, adverſariorum

riorum raro aut nunquam meminiſſe, amicorum res ut ſuas curæ habere, pro ijs apud proceres, apud principes contendere. quos non ut umbratici ſolent, ſed cum fiducia conveniebat. Natus ad Remp. niſi beatus quam ambitioſus eſſe maluiſſet. Eo tamen feliciſsimus, quod malevolis quoque, prono in calumnias ſæculo, nihil cui detraherent, præter comitatem reliquit. Amicos habuit præ cæteris, Douzas patrem & filium, Iohannem Grotium, Iohannem Melandrum, Iuſtum Lipſium, Othonem Heurnium, Gerardum & Reinerum Bontium, Danielem Heinſium, Petrum Scriverium, alios in Academia & in aula non paucos. Inprimis autem Ioſephum Scaligerum, quem felicitate fatali, in Galliam miſſus, ab Henrico Magno, ejus nominis quarto impetravit. qua legatione ita functus eſt, ut auſpicijs & liberalitate Ordinum, non prius huc rediret, quam rem confeciſſet, & deſertę Lipſij diſceſſu Academiæ, cujus & alumnus & civis erat, virum talem redderet, qualem ea tempeſtate orbis non habebat. Quam in rem plurimæ adhuc literæ a magnatibus ad illū ſcriptæ ſervantur: quas Iohannes Tuningius nunc poſsidet, principi Henrico ab arcanis. vir ad ſumma natus, & qui ſolus nunc fratris deſide-

rium, pari indole ac moribus ſolatur. Vitam cælebs finivit anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimũ decimo, Auguſti decimo & nono, Bruxellis, quo occaſione feriarum æſtivarum animi cauſa ſe contulerat.

Quædam conſcripſit e quibus nihil editum, præter libellum quem horis ſuccisivis inter amicos contexuerat: Apophtegmata nimirum linguis aliquot conſcripta.

*Commentarium abſolutiſsimum ad quatuor Digeſtorum libros nondum luci datum.*



COR-


CORNELIVS PYNACKER
I.C. IVRIS PROFESSOR.

# CORNELIVS PYNACKER.



ORNELIVS PYNACKER natus eſt in avito ſuo Pynacriano, patre concilij Chomatarchici Delphici quæſtore. à proavo materno eâdem quæſtura fūcto, viro prudētiſsimo & extremæ ſenectutis, quippe qui per ſeptuaginta quinque annos continuos reipub: munia obierit, ſtudijs artium & dein. S. Theologiæ applicatus, cui aliquot annis Leidæ, ac poſt Heidelbergæ operam dedit. Cumque inde Genevam iter inſtitueret, vir illuſtris & generoſus D. Elbertus à Pallant Dominus in Selhm & Dirsfort, ipſum ſtudiorum & itineris comitem, per Italiam, utramque Pannoniam, Moraviam, Böemiam, & Germaniam ad arcem ſuam Selhmenſem, quæ eſt in Clivia, reduxit ſecumq́; aliquot menſes degenti autor fuit ut legali Philoſophiæ unicè incumberet, & ad metam maturè properaret, quâ viri nobiliſsimi autoritate motus, Leydam redijt juris ſtudium ſub optimis & diligentiſsimis præceptoribus amplexus eſt, ſtadioq́; decurſo, foro & cauſis in curia Hollandiæ orandis ſeſe dedit: unde paulo poſt ad

Aca-

Academiam Leidenſem revocatus profeſsionem juris civilis ab Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, etiam nunc ſuſtinet.

Propediem luci dabit *Jura & privilegia militum*, ex varijs collecta, ad uſum & obſervationem militiæ Naſſaviæ, quæ eſt apud Batavos, accommodata.





CORNELIVS SWANENBVRCH
I.C. IVRIS PROFESSOR.

COR-

# COR. SVVANENBVRCH.

CORNELIVS SWANENBVRCH natus eſt Leydæ, honeſtiſsima à multis retro annis in ea urbe familia. Prima ſuorum ſtudiorum fundamenta ibidem jecit ubi natus eſt, tum publicè in ludo literario, cui præerat Rector Nicolaus Stochius, tum privatim apud Rodolphum Snellium Matheſeos in Academia profeſſorem celeberrimum. Sub horum diſciplina literarũ & liberalium artium præceptis imbutus Iuriſprudentiæ ſtudijs excolendis exinde animum adjecit, audivitque profeſſores in ea facultate clariſsimos Iulium Beymam, Euerhardum Bronchorſtium, Cornelium Grotium, Gerardum Tuningium, ac ſpecimen ingenij publicè diſputando ſub D. Bronchorſtio Anno cIɔ. Iɔ. XCIII. exhibuit. Paulo poſt Duacum a parẽtibus ablegatus, quum per menſes XIV. aſsiduam juri operam navaſſet, ibidem eorum juſſu Titulum Licentiati in utroque jure poſt ſolennia experimenta conſecutus eſt Anno cIɔ. Iɔ. XCV. menſis Ianuarij die XXX. Inde in patriam reverſus, quum per integrum biennium docen-

docendo disputandoque in Iurisprudentiæ studio ulterius sese exercuisset, tandem summo Doctoris titulo Anno cIↄ. Iↄ. xcvii. Septemb. die xvii. cohonestatus, Academiæ patriæ operam suam addixit, & consentientibus suffragijs DD. Curatorum, & Consulum eius urbis Institutiones juris docere cœpit. Nunc varios Pandectarum titulos interpretatur, inque eo uno totus est, ut prædecessorum suorum exemplo, spartam quam nactus est honorificam, ex usu publico dignè ornet.




IOANNES LINDERHAVSEN
I.C. IVRIS PROFESSOR.

# IOAN. LINDERSHAVSEN.



NATVS Swelmæ, Ann. a Christo nato cIↃ. IↃ. LXXI. patrem habuit cognominem, causarum patronum, virum honestissimum. Decennis Træmoniam studiorum causâ amandatus est, ubi prima ejus fundamenta fuerunt sub Lambachio, & Beurhusio scholæ istius tunc per quã celebris, successivè Rectoribus. Ex ėa Coloniam Vbiorum translatus est, in collegio Societatis Iesu (ut vocant) aliquamdiu consedit; Inde in patriam a parẽtibus revocatus, istuc octo plus minus annis, non sine gravi studiorum jactura commoratus. Quibus exactis de resumendis studijs est cogitatum, propinquis & amicis ad id seriò adhortantibus, eodem ferè tempore, quo Illustris & Generosus Comes Arnoldus Benthemensis, &c. illustrem apud suos Scholam primùm aperuisset, ad quam nascentem aliquamdiu concessit. Mox inde Herbornam Nassoviorum se contulit. Verum, cum nescio qua voluptate ad Galliæ partes perlustrãdas traheretur, opportunè admodum evenit, ut eo ipso tempore quęreretur juvenis, qui a studijs

esse

esset nobili puero patriâ Clivo, patre Emundo Gruter, Domino in Crajenstein, &c. quique filium ejus in Galliam duceret. Cujus rei tunc summa dabatur D. Ioanni Piscatori, SS. Theologiæ ibidem professori clarissimo, suo singulari fautori. Hic re intellecta deque mente ipsius jam pridem informatus, commodissimam hanc commodam visendæ Galliæ occasionem non respuendam duxit, consilium sequitur, Hussiam, ubi larem tunc parentes fixerant, venit, præparatur iter Duacum versus. Et cum nullum adhuc certum studiorum genus delegisset, ibidem ad legum Romanarum scientiam animum composuit. Duaco annis vix duobus exactis Lovanium abijt, ubi aliquãtisper cõsidens ad suos remeavit, & Emũdo Gruter qui tũc Delphis agebat præfectis Aulæ & pariter a consilijs Illustrissimi comitis Philippi ab Altâ Flammâ, filium, nõ mediocri literaturâ initiatum, reddidit. Inde Germaniam repetens se ad titulum in jure Licentiæ consequendum componit. Exinde rediens in Hollandiam, Lugdunum celebrem Academiam invisit, in qua postmodum parentibus rebus humanis exemptis, tria penè lustra, potissimam vitæ suæ periodum, in exercenda juventute publicè & privatim cum docé-

do tum diſputando jugi obſervatione peregit, uſque quo D. Cornelio Grotio & Gerrardo Tuningio profeſſoribus ibidem clariſsimus, vitâ functis, providentiâ DD. Curatorum, conſulumque Academiæ Lugd. Bat. laudatâ, in numerum Profeſſorum juris adſcriptus ſit x. Feb. An. cIↃ. IↃ. CXI. paulo poſt titulo quoque Doctoris per Clariſsimum virum D. Everhardum Bronchorſt antecesſorem ibidem juris primarium decoratus.

### Scripsit binas

### Diſputationes Inſtit. Imperialium.

*Priores delinatione methodicâ cum quæſtionibus penè multis, earumque notabilioribus cauſis dubitandi iiſque indeciſis, propediem, juvante Deo, decidendis ac plenius tractandis nu.* XXVI.

*Poſteriores formâ magis ſolutâ & libera. nu.* XXIV.



# ICONES & VITÆ
quotquot haberi potuerunt;
eorum qui
*MEDICINAM*
in
ACADEMIA LVGDVNO-BATAVA
unquam profesſi ſunt:
*Juxta ſeriem temporis, quo quilibet eorum, ab ipſo Academiæ primordio, profeſſionem ſuam auſpicati ſeq; mutuo inſequuti ſunt,*
ordine hic induſtriè & fideliter exhibitæ.




PE

# PETRVS FORESTVS.



LCMARIÆ natus Anno cIↄ. Iↄ. XXII. parentib s claris, (patre nimirum ex nobiliſs. & antiquiſsima Foreſtorum familia oriundo) ibique non minima primæ ætatis parte in humanioribus literis conſumpta, Lovanium tandem graviorum ſtudiorum cauſâ profectus eſt. vbi per aliquod tempus hærentem, nec ullum ſtudiorum genus certum adhuc deligentem, variæ cogitationes retardarunt. cum præter alios pater ipſius Iordanus Foreſtus ad legum ſcientiam ipſum adhortaretur. quæ cum ipſi difficillima videretur, ob tantam & auctorum & opinionum varietatem, cumque ipſe a litibus, quibus diſceptandis dirimendiſq; Iuris cognitio perpetuò eſt occupata, abhorreret, ea cogitatione abjecta, tandem Medicinã, ad quam naturâ propendebat, conſectandam ſibi propoſuit. Noluit tamen ejus ſtudium citra patris conſenſum amplecti. proinde cum Petrus Nannius, Latinę Linguę apud Lovanienſes Pro-

feſſor

ſeſſor, civis & Præceptor ejus, per literas patri ipſius hoc ſuaſiſſet, factum fuit, ut is non gravatè annueret. Cum itáque animum ad eam appuliſſet, intelligeretque, ex Galeni doctrina omnes ingenuas artes partim ratione, partim experientia comparari, exiſtimavit ſibi cum doctiſſimis & exercitatiſsimis medicis eſſe verſandum, ut non modo artis theoriam, verùm & tecmarſin rectè poſſet adipiſci. quamobrem cum Lovanij quadriennium amplius theoriæ inſudaſſet ſub Hieremia Brachelio, philoſopho ac medico inſigni, & alijs haud contemnendis medicis, eo tempore Medicinam profitentibus: tandem Italiam acceſsit, ut praxin artis à Doctoribus periti ſsimis tam Bononiæ (ubi Doctoratus quoque inſignia conſequutus eſt) & Patavij, quam Romæ, alijſque in locis celebrioribus perdiſceret. Tum temporis Romæ erat quidem inter primos Giſsibertus Horſtius Amſterodamenſis, magni nominis medicus, (cujus non raro in libris Obſervationum meminit) qui noſocomio *Mariæ conſolationis* prȩerat: Bononiæ vero Benedictus Fauentinus, Iacobus Erigius, qui noſocomij, quod *Mortis* vocant, curam gerebat. & inter alios vel primo loco nominandus Elideus, medicus noſocomij *Vitæ*. Patavij verò maximus Anatomi-
corum

corum, Andreas Vesalius. His omnibus ille propter diligentiam ac fidem acceptissimus fuit. Cum igitur istis in locis apud hos præstantissimos medicos, aliosque non minus celebres, annos plures exegisset multa à tam magnis præceptoribus doctus, cum tædere illum peregrinationis porrò inciperet, tandem sibi locum certum deligendum existimavit, in quo vitæ reliquum ageret, honoremque & opes ex arte suâ honestè quæreret. Quo factum fuit, ut ex Italia in Galliam abiret, in eâque Lutetiam; atque ibi primum menses aliquot inter notos & amicos Medicinam factitavit; cùm humanissimè acciperetur a Vido Vidio Florentino, Regio per id tempus Medico, cui ab Italis præceptoribus per literas commendatus erat. Neque minus gratus fuit Iacobo Sylvio, Professori Regio, cui tum temporis Galenum *De facultatibus simplicium medicamentorum* prælegenti aliqua simplicia atque herbas subministravit, quas ipse partim cum viris doctis, partim cum Valerio Cordo, juvene doctissimo ( quocum Romæ conjunctissimè vixerat, cuique ibidem morienti anno cIↃ. IↃ. XLIV. oculos suggillaverat) magno cum labore diversis Italiæ locis collegerat. Verum postea, id suadente eodem Sylvio literisque commenda-

tijs ab eo acceptis Biturigas abijt, qua in vrbe annum unum medicinã cum honore fecit. Tandem patre & amicis crebrò per literas revocantibus in patriam redijt, ubi civibus ſuis curandis operam ſedulam per XII. annos dedit. Inde ſtipendio honeſto evocatus, cum peſtis illic graſſaretur, annis plus minus XL. in eâ vrbe Medici publici munus geſsit. Quanta autem viri diligentia fuerit, vel imperitum latere nequit. Quiſquis enim numerum librorum, quos edidit ipſe, contempletur, eum neceſſe eſt indefeſſum planè ingenium admirari. Qui vero *Obſervationes* ejus attentè & cum judicio legerit, alterutrum certè ſummæ diligentiæ famam ſatis eſſe, aut tantam negotiorum molem ſuſtinuiſſe, aut volumina tot ſcripſiſſe, procul dubio iudicabit. Hoc loco ſilere non oportet, primam in Medicina lectionem, & orationem pro laude ejus, in Academia Lugdunenſi, per id tempus inſtauratâ, habuiſſe. Cumq; jam tantum temporis ſpatium operam exteris navaſſet, civibus ſuis adhuc nonnihil impertiendũ exiſtimavit. Eam ob rem extremâ ſenectâ, non ſine magno dolore Delphenſium, domicilium Alcmariam tranſtulit. Galeni in hoc exemplum ſequutus, qui cum Romæ optimam vitæ partẽ egiſſet, ibidemq; & honores magnos & glo-

& gloriam ex arte Medica consequutus esset, jam gravis annis in Græciam suam rursum abijt. Vt Alcmariam redijt, ne minimo quidem civium suorum operam negavit. Consilium erat, non tantum honore mortis suæ & sepulchri patriam afficere, sed re & operâ, quod poterat, iuvare. Igitur cum patriæ, quod debebat, persoluisset, etiam animum quam in ea hauserat, illic reddidit, Anno cIↃ. IↃ. XCVII. cum vixisset annos LXXV. Epitaphia exstant hæc

Εἰς τὸν αὐτόν.

Τῇδε ποτὶ στήλῃ ὅστις, ξένε, δάκρυα λείβεις,
Παύσασθαι κέλομαι· οὐ χρεὼ ἐστὶ γόου.
Ὅσσα γὰρ ἔλλαχε μοῖρα κακὴ καὶ γαῖα μελαίνη
Τοῖσιν ἀνὴρ παύροις γνώριμος ἔσκε βροτοῖς.
Τοῖσι μὲν ἓν γίνωσκε μόγις πτολίεθρον ἐκεῖνον,
Ἢ ὀλίγη πληθὺς τοῖο περικτιόνων·
Λείψανα δ' ἀβληχροῦ θανάτου μέγαν ἀμφιπολεῖται
Κόσμον ἐπ' ἀνθρώπων χείλεσιν ἐζόμενα.
Ἦρα φίλον γαίη κατέχει ἔτι πᾶσα φέρεστον
Ὤλεσε δ' εἷς χῶρος τῷ δ' ἐνὶ ναιέταεν.

Manibus magni patrui ponebat

JOANNES FORESTVS. I. C.

# MEM.
# PETRI FORESTI,
Med. artis operibus clarissimi.


*NOris ut hospes, ossa quanti marmore*
*Sub hoc reposta sint viri, sic accipe.*
*Sunt illa Petri, è gente quem Forestia*
*Cœli benignior, bono mortalium,*
*Magni beârat aura mente Hippocratis.*
*Hac, artis usu fontibusque Iätricæ*
*Orbi retectis, ceu perenni lumine,*
*Iam major annis septuagenario,*
*Nil mente fractus, hos ut artus exuit:*
*Desiderat lugetque civem patria,*
*Æther recepit; quo fide tetenderat*
*Famâ relictâ posteris industriæ.*
*Nunc hospes i, quò fata te vocant tua,*
*Sua gratulatus optimo Forestio.*

Præceptori & amico vet.
PET. HOGERBETIVS, Med. Hornan,
mœrens B. in P.

## Scripta ejus hæc sunt.

*DE incerto urinarum judicio.*
*Observationum & Curationum medicinalium libri* XXXII.
*De Chirurgia libri* V.

GE-


GE-
RARDVS
BONTIVS
MEDICI-
NÆ PRO
FES-
SOR.

# GERARDVS BONTIVS.



NATVS est Gerardus Bontius ann. 1538. Ryſwici, vico Geldriç, patre honeſto & ſtipendiorum plurimorum viro, ſed qui militarem vitam poſtea pertæſus ad tranquillam magis, ac honeſtam voluptatem pariter & fructum, qui ex terræ cultu & fæcunditate petitur, more antiquorum ſe contulerat. Puer ad percipienda prima litterarum rudimenta Schoonhoviam a patre miſſus eſt, ubi Adrianum Agrippam præceptorem habuit; ut in ea functione multi inter ſuos nominis & formandæ juventuti natum. Hunc deinde Delphos eſt ſecutus, ubi in eodem ludo & Geldorpius docuit, vir a feſtiva libertate & ingenua dicacitate celeberrimus. His ad annum cIↃ. IↃ. LXV. adhæſit, poſtea Lovanium ſe contulit. Hic philoſophiæ totum ſe dedidit, a qua ipſa (nam naturæ contemplationi plurimum intentus erat) ad Medicinam pertractus eſt, in qua Bieſium audivit, quem non multo poſt Lovanio Viennam Maximilianus evocavit. Quo quidem Belgis erepto, cum Italia Lovanium mutavit. Vbi Ferrariam

rariam sibi, & studijs potissimum idoneam iudicavit: cæterum honorem, qui supremus est in eo studio, Patavij est consecutus. Patavio in Belgium redijt, paulo autem post Lugdunum Batavorum vitæ sedem elegit, in qua, simul cum receptis in hac civitate literis, & musis, e cathedra docere cœpit; homo ab impietate juxta, ac superstitione aversus; quam ut erat magni animi, subisse nomen pietatis, probitati vero fucum facere, haud raro inter candidos amicos, ac synceros, fremebat: ipse aperti, ac ingenui pectoris, iratus simul ijs ac invisus, qui sceleribus ac fraudi cultum numinis prætexerent, quòd est illi generi familiare. Religionem quippe, esse necessariam ajebat, solam vero ejus speciem, si absit virtus, animi ut plurimum perversi, ac contacti vitijs asylum esse; ijs histrionibus prędæ esse alienam innocentiam: quam auctoritate opprimunt ac factis. In utroque enim populi credulitate abuti. Quod & ipse expertus est. Inter philosophos, Platonem proximum nobis, maximè amavit, cum quo Maximum Tyrium philosophum, sed & Nemesium plerumque coniungebat; Illum Platonicum, hunc & Christianum. A quibus ne in morbo quidem divortium fecit. Fato quippe proximus, divini Augustini Steu-

chi

chi opus de perenni ſapientia, ſæpe a ſe lectum, repetijt, & in iſta cōtemplatione, cum ad Deum aliquoties ardenter mentem convertiſſet, expiravit. Iulium Scaligerum, non tam imitatione inerti, a qua abhorrebat, quam iudicij conſenſu ſecutus, qui hoc ſcriptum & legebat ipſe pluri-mum, & non paucis commendavit. Morum erat ſimplex, ac candidus, ingenio feſtivo, & ad liberalitatem facto. Dignitatem Academiæ ſine faſtu, familiæ curam ſine ſeveritate ſuſtinebat: uihil ut Italis præter eruditionem deberet, contra eorum vitia optime munitus, non tam inſtituto, quam indole. Vir bonus abſque apparatu, prudens ſine ambitione. In vultu gravitatem æſtimaſſes: ubi propius noviſſes, comitatem ejus amare maluiſſes. Quorum rationem ignorabat ea nec admirabatur, neque cuivis obvio credebat: divina ſolitus excipere, quorum ratio ab humanâ nec dependet, nec inveſtigatur, quia pariter naturam excedit. In cæteris ſubinde iraſci prono ad ſtoliditatem vulgo, quam cum indignatione interdū caſtigabat. Homo quippe acer qui nec ipſe ſibi gratiam cujuſlibet delicti faceret, in fatuitate, a qua aberat longiſsime, nihil minus quam pertinaciam ferebat, quæ armata nugis, facilius oppugnat veritatem, quam intelligit.

telligit. Hoc quoque ad reliqua accesserat, formæ decor ad ætatem ultimam in eo constans, e qua omnium postremò venerandam canitiem servaverat. Liberos benigne potius quam laxe habebat. quibus efficaci ad virtutem instrumento, non verbis sed exemplo, præibat. Græce ita doctus, ut Galenum ac Hippocratem, hoc sermone semper legeret: in contemplativa medicina tantus; ut non aliud egisse videretur. Activam, in qua paucos ætate sua pares habuit, nemo plures curavit, non tam ad quæstum, quam ad benignitatem exercuit, quanquam duro onere familiæ ac gravi. Adeo promptum virtutibus, invictum in adversis animum habebat. Omnes enim diligenter; destitutos a fortuna gratis accedebat. Supremum Academiæ honorem aliquoties sustinuit, nũquam affectavit. Postremo, quanquam hoc minimum in eo est, qui hæc nondum æstimare didicit; ne privatus quidem obijt. In ipsa enim Academiæ Recturâ extinctus est. Anno cIↄ. Iↄ. xcix. Sept. xv. ætatis LXIII. nimirum climacterico, magnis viris sæpe exitiali. Fatalem horam & præsensit neque extimuit. Quorum alterum ab experientia, alterum ab innata sapientia habuit. Morti proximus, cum nonnihil cibi sumpsisset, repugnante stomacho,

cujus imbecillitate laborabat, ad Reinerũ filium conversus, animo composito, Ecce autem, inquit, iste victus est, neque adhuc deditionem parat. Liberos reliquit octo, & in his Iohannem ac Reinerum, alterum Roterodamensis Reipublicę medicum, & hoc tempore Quæstorem: hunc ejusdem artis Professorem, summis principibus MAURICIO ac HENRICO NASSOVIIS a medicinâ: virum quam tenacem patriæ virtutis, tam ab ostentatione virtutis alienum. cui, quod miraculi est instar, artis etiam successum reliquit. quasi cui reliqua non deerant, fortunam quoque inter domestica haberet. Duo reliqui, supremum alter Iuris, alter Medicinæ gradum in eadem Academiâ tuetur. Scripsit plurima, in Hippocratem præsertim, sed quæ edi noluit. Potius enim eruditionem deesse sæculo existimabat quam scriptores.

EPI-

EPITAPHIVM.

D. O. M.
ET MEMORIÆ D. DOCTORIS
GERARDI BONTII,
VIRI CVM OMNIVM DISCIPLINARVM TVM PRÆCIPVE VTRIVSQVE MEDICINÆ LAVDIBVS ORNATISSIMI: QVI IN FLORENTISSIMA BATAVORVM ACADEMIA PRIMARIVS MEDICINÆ PROFESSOR, MAGNÆ FAMÆ CELERBITATE TOTOS XXIV. ANNOS PVBLICE DOCVIT, IBIDEMQVE RECTOR MAGNIFICVS RECTORATV SIMVL CVM VITA DEFVNCTVS EST. XV. SEPTEMBRIS.
ANNO cIↃ. IↃ. IX.
VIXIT AN. LXII, MENS. VI,
DIES XI.
Coniux & liberi mœsti
posuere.



IOHANNES HEURNIUS
MEDICINÆ PROFESSOR.

IOAN-

# IOANNES HEVRNIVS.

*Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,*
*Quid rogo Dictamnum, quid Panacæa juvent?*

CLara hic & antiqua Belgarum familia oriundus, patrem habuit Otthonem Heurnium, qui ex uxore Geertruda a Velsen primogenitum hunc filium suscepit Vltrajecti, anno cIↄ. Iↄ. XLIII. Ianuarij XXV. stylo antiquo, quadrantem ante sextæ mediam matutinam. Ab ipsijs incunabulis placidum & gratiosum Heurnio ingenium fuit, ipsaque indoles Medicæ artis excellentiam in puero persagijt. Nam cum ipsum mater lactasset, non ut fieri solet cunarum agitatione sopiri poterat, sed in lecto repositus domesticum catellum (fidum olim Æsculapij comitem) ludibundus spectans obdormiebat. Ipso autem evigilante desiliens e lecto catullus sua præsentia matri rem denuntiabat. Prima studiorum fundamenta sub Georgio Macropedio, Vltrajectanæ scholæ Rectore, celeberrimo id ætatis viro, posuit. Deinde institutione Arnoldi Eikij, claro tum Vltrajecti in pue-

rorum ingenijs formandis viro, in ſtudiis humanioribus magnos progreſſus fecit. Lovanium anno ætatis XVIII. a patre deductus, per biennium ex publicis lectionibus celeberrimorum Regiorum Profeſſorum, Hieremiæ Triverij Brachelij (cujus doctiſsima extant Commentaria, ad Aphoriſmos Hippocratis, Galenum & Celſum) Andreæ Baleni, Petri Brogelij & Gemmæ Friſij filij, in Philoſophia ac Medicina plurimum profecit, adeò ut jam corroborato ſtudiorum ſuorum fundamento ad eorum conſummationem animum adjiceret. Pariſios igitur contendit, ut intima Medicæ artis arcana perciperet, quæ ibi publicè maximo totius Europæ concurſu & applauſu nitidè enarrabant,

*Aurea doctiloqui cæleſtia labra* DURETI,
*Ambroſia & Coo paſta labella favo.*

Fuit enim hic Duretus non ſuæ tantum ætatis, ſed omnis ævi Medica arte eminentiſsimus, dicendo, agendóque juxta optimus: & ut Heurnius ſubindè dicere ſolebat in Medicorum ordine tertius, Galenóque poſtponendus, in poſteriorum autem ſerie reliquis omnibus anteferendus. Primus enim exſtitit qui barbariei mandragora ſopitum Hippocraticæ artis genium, acri & incitato ſuo ingenio reſuſcitavit, & ex tene-

bricoſo

bricoſo tricarum ergaſtulo in illuſtre theatrum orbis terrarum protraxit. Vnde Stephanus Paſchaſius lib. II. epigrammat.

*Priſca quod Hippocrati venerando debuit ætas,*
DURETO *cur non debeat Hippocrates?*
*Ille ſua morbos immanes arte fugavit,*
*Hic a morte ſuum vindicat Hippocratem.*

Nam in ultima Burgundia natus, primis ætatis temporibus Pariſios venit pauper & inops, ſed mox ingenij vivida vi exſplendeſcente reliquos commilitones multis paraſanguis ſuperavit; primuſque in ordine Doctorum ( pro ut Pariſijs conſuetudo ferebat) promotus, ditiſsimo conjugio proſpera ipſum fortuna beavit. Mox Regia Profeſsione & praxi illuſtris, vitam docendo, ſcribẽdo, & praxi aulica ac Regia tranſegit. Nam Caroli Novi, & Henrici Tertij, Galliarum & Polonie Regum perpetuus, cubicularis medicus fuit. A quibus adeò dilectus, ut cum filium elocaret, Rex a dextris, ipſe a ſiniſtris filiam in templum ad ſolemnia ſponſaliorum perpetrãda deduxerint. Ipſeq; Rex ſua præſentia nuptias cohoneſtans, omnem auream & argenteam ſupellectilem, quâ miniſtrabatur, cujus prætium quadraginta florenorum millia excedebat, ſponſæ pro honorario donavit. Tantus enim Regis erga Dure-

Duretum affectus, ut nisi ipso adstante cibum non sumeret, sæpeque exclamaret, Durete si filium haberem tuæ curæ ejus & educatio & institutio esset. Obijt morte immatura, sed placida ac provisa Anno cIↃ. IↃ. LXXXVI. ætatis LIX. Mortis genus ex his ipsius Dureti verbis in Commentario ad Coacas pag. 289. colligi potest: *Ut spuma fit in pulmone, ita non semper sanguis e pulmonis commeatu nec de substantia ejus prorumpit. Quod multis juvenibus evenisse comperi, quibus cohibita narium hæmorrhagia, sanguinis anadrome cursum habuit per pulmones, & exitum per os. Ac mihi quoque jam homini quinquagenario cum olim familiaris fuisset narium hæmorrhagia commodo valitudinis ad illud usque tempus ætatis meæ; tum ea suppressa nec tamen anadrome statis temporibus quiescente; qua data porta prorupit per anastamosin venarum pulmonis, atque id quidem sæpè & multum: quæ tamen sedata per Dei misericordiam nullam offensionem parti reliquit, quâ cursum inflexit, præter summam corporis infirmitatem. Sed eum qui sequutus est annum exegi in medendo, scribendo, & legendo Hippocratem clara voce & firmis lateribus. Deo sit honor & gloria qui me sanavit, ac mihi medicinæ faciundæ rationem aperuit per hemorrhoides admota hirudine. Sic enim rheuma concitatum retrahitur, efferaque sedatur anadrome atque sistitur.* Reliquit liberos plures, quorum IOANNES DVRETVS

artis

artis paternę hęres, praxi Medica clarissimus, divinum Hippocratis Coacarum opus a patre denso eruditionis robore circumdatum, ipsoq; Sole nitidius illustratum, & a se consummatum, ante multos annos publicavit: reliqui in foro Parisiensi paterni ingenij vigore ac prudentia maxima cum laude Iurisprudentiam exercent. Quæ ab hoc viro publicè dicta aut scripta, robore, & brevi ac rotundo acumine, Hippocraticam indolem representant; omnibusq; posteris ęmulationem relinquunt, imitationem omnem pręcidunt. Post editas a Clarissimo Ioanne Dureto patris Coacas, celeberrimus Regius medicus D. RENATUS CHARTERIUS (vir doctrinæ soliditate admirabilis, qui veri Medici munus perfectissime implet, dicta factis æquando, morborumque fœlici medela rem quam mente concepit ostendendo) Dureti in Hollerium de Morbis Internis consummatissima, & admiranda eruditionis ambrosia saturata, Commentaria publicavit: plurimasque alias admirandi hujus viri ad Hippocraté lucubrationes brevi promittit; S. Deus adeò utilem laboré prosperet & fœlicitet. Hunc toto triennio tanta sedulitate Heurnius audivit nullam lectionem ut negligeret. Cumque serius interdum ipsum accedere conspiceret, audita

non ſemel publico ex ſuggeſtu Dureti vox, mi adoleſcens doleo jam quædam dicta quorum non es particeps. Magnum Dureti erga Heurnium adfectus indicium, à viro enim gravi, nec verborum prodigo, quem etiam ipſe Rex reverebatur, nunquam ea vox niſi erga Heurnium publicè audita. Cum MAGNO hoc DVRETO Heurnius Medicam praxin cottidie frequentavit Pariſijs; pluresque a calculo ſectione liberari vidit a peritiſsimo omnis ævi Lithotomo *Laurentio Collodæo*, nam præter molliſsimam in crudeliſsimo opere encheireſin, ea ipſi erat agilitas pari cum ſecuritate eventuſque fœlicitate juncta, ut ſæpe jam calculos extractos ægrotis oſtenderet, cum ipſum in ſectionis præparatione verſari cenſerent. Studia etiam humaniora ibidem excoluit, aſsiduè Carpentarium, Ramum, Turnebum, Auratum, audiens. Inde horridam Hiſpaniam inviſere cum animo agitaret, prudentis amici diſſuaſu tot periculis pregnantem peregrinationem omiſit, & ad Europæ delitias Italiam iter convertit, anno ætatis XXIIII: eaque tota perluſtrata Patavij ſedem fixit cum Petro Foreſto, Buſenio, Teilingio, ſodalibus & conterraneis ſuis, qui magna poſtea fuere Hollandiæ in arte Medica lumina. Semel ibi ab homi-

homicidis, bis a virulentis animalibus vitæ diſcrimen adijt, nimirùm ſerpente Boas, & inſecto Phalangio. Cumque Venetorum ad Turcarum Imperatorem Legatus Heurnium ob egregiam eruditionem amplo ſtipendio ad Conſtantinopolitanam peregrinationem invitaret, ipſum ſequutus fuiſſet, niſi inconſultis parentibus id facere reformidaſſet. Cum igitur Patavij Capivaccium, Stephanellum, Mercurialem, Paternum, Aquapendentem, Guillandinum, ſumma diligentia audiviſſet, & in omni Medicinæ parte egregie ſe exercuiſſet, Ticinum profectus eſt anno ætatis XXVIII. Cumque ibi aliquamdiu ſedulam Anatomiæ operam ſub clariſsimo Gabriele Cunerio navaſſet, & cum Bellocatone celeberrimo Medico praxin cottidianam frequentaſſet, jam conſummatiſsima Medicinæ ſcientia, quantum ea ætas ferebat, inſtructus, Gradu Doctoratus ibidem decoratus eſt. Loci autem ejus genio allectus cum diutius ibi ſubſiſteret, & jam antea idnotuiſſet Illuſtriſsimo Domino NICOLAO RENALDO PERENOTO Domino a Granvella & Chantonay, Comiti a Cantecroy, ab ipſo per biennium honorifico ſtipendio pro Medico habitus eſt. Cum autem cele-

berrimus ejus Academiæ Profeſſor ipſi filiam unicam ſimul cum Profeſsione & tota hęreditate tradere decreviſſet, jamq́ue publicè doceret ut eruditionis ſpecimen daret. Itali plures corrivales in ipſius pernitiem conſpiravere. Itaq́ue ſatis perſpecta cum in hujuſmodi rebus Heurnio fidelis Italorum eſſet indoles, repentè clam in patriam contendit, ea feſtinatione ut exili tempore totum iter abſolueret, nullum ſibi locum tutum niſi patriam exiſtimans. Ita anno ætatis xxx. in ipſo belli civilis æſtu reverſus Vltrajectũ, Medicinam ibi exercuit, Domeſticuſq́ue Medicus fuit Celſiſsimorum Principum de Egmont, & Vltrajectinæ Provinciæ eo tempore Gubernatoris Domini de Noortcarmes, quem ex veneno ab Hiſpanis propinato diuturnus ac tædioſiſsimus læthalis Icterus torquebat. Hujus favore paternas ædes immunes ſervavit a tyrannide militum Hiſpanorum, quibus ſinguli cives ſuis in ædibus victum gratis dare, cum ſummo rei familiaris diſpendio, cogebantur. Eorum faſtus tolerandus, inſolentia perferenda, injurię devorandę erant, ſilente ſub armorum vi lege & honeſtate omni; adeò ut quod in univerſo Belgio domus totidem & privatæ tyrannides eſſent. Ducit tũc Ioannes Heurnius Vltrajecti, in patria

ſua

ſua, uxorẽ Chriſtinam Bayers, virginem indigenam, antiqua multóque honorum decore clara patricia familia oriundam. Nam Bayerorum familia priſca & celebris in ditione Vltrajectina proſapies, multis ætatibus conjugij copula inſerta eſt claris ibidem patricijs familijs Helſdingiorum, Lyſtriorum, De Roien, Hanniorum, alijſqúe plurimis. Functa & Bayerorum familia multis ætatibus primarijs Eccleſiaſticis honoribus Vltrajecti, cui in omnibus ferè templis teſtimonium monumenta præbent. Eorum quidam Epiſcopi Vltrajectini Vicarij fuere, qui ipſo abſente Reipublicę clauum moderabantur. Iam rebus Belgij Illuſtriſsimi Principis Auraici adventu nonnihil recreatis & immutatis elegitur & Iohannes Heurnius ejuſdem Principis ſuffragio in Senatorem ſeu Scabinum Reipublicæ Vltrajectinæ. Nihil homini Muſis & tranquillitati dedito gravius, hoc turbulentiſsimo temporum ſtatu, accidere potuit. tandemq; vix multis precibus ac magno molimine ejus officij vacationem impetravit. Mox in vrbe Leydenſi erecta Academia, eò a Nobiliſs. ac Ampliſs. Curatoribus & Coſs. evocatur ad Profeſsionẽ Medicam. Deſerit igitur patriam, Leydam commigrat, anno ætatis XXXVIII, Chriſti CIↃ. IↃ. LXXXI, Octo-

bris xxxi. Inde anno cIↄ. Iↄ. LXXXVIII, ab Illustrissimis Frisiæ Ordinibus, & Illustrissimo Comite Guilielmo Ludovico Nassovio ad Professionem in Academia Franekerana sustinendam stipendio honestissimo evocatus est. sed Curatorum Consulumqúe benignitate, lociqúe amenitate detentus, sortem mutare noluit. Praxin maxima cum auctoritate exercuit, perpetuus Ordinarius medicus Illust. & Celciss. Principis Auraicæ, Principis Mauritij Confœderatarũ Belgij Provinciarũ Gubernatoris, Principis Chimayę, & omnium procerum Hollandiæ. Totam ætatem in Hippocratis familiaritate consumpsit, adeò ut ejus locos omnes Grecè memoria teneret, prælectionesque suas incomparabili sermonis venustate ac suavitate condiret, nulliusque scripti subsidio de cathedra, perpetuò divini Senis mysteria enarraret. & de superiore loco disputantem neque honesti vultus decor, neque vocis & motus elegantia destituebant. Quo autẽ emolumento Academiæ Leydensi inservierit, testis clarissima ejusdem Academiæ fama, nam bonam, imò potissimam celebritatis partem, ei attulit. Testis & doctissimorum discipulorum uberrima seges, quæ ex ejus schola tanquam ex Chironis antro, prodijt nobilissima. Sexies ibidem

dem Magnifici Rectoris dignitatem sustinuit. Primusque in Academia Leydensi propria manu *Anatomiam* administravit id efflagitantibus studiosis, cum insolens hoc exercitium patriæ nostræ eo tempore esset. Docuit & ibi in Collegio Illustrissimorum Ordinum, quatuor libros Aristotelis Meteorologicos, & tres de Anima, quos doctis Commentarijs etiam illustravit. Intimam hic coluit amicitiam cum viris ævi nostri celeberrimis, Iano Dousa Domino de Noortwijck & Academiæ Curatore, Ioanne Banchemio Supremæ Curiæ Hollandiæ & Zelandiæ Præside ac Academiæ Curatore, Petro Deimanno Consule Reipublicæ Leydensis, Nicolao Zeistio Reipublicæ Leydensis Syndico, Ioanne Holmanno Secundo, Francisco Iunio, Luca Trelcatio, Hugone Donello, Everardo Bronchorstio, Iosepho Scaligero, Iusto Lipsio, Francisco Raphelengio. Inter discipulos clarissimi & beneficiorum a præceptore in se collatorum memores hi sunt: *Sebastianus Ecberti* vir summus, & Medicæ Politicæque scientiæ juxta gnarus, multis annis ad clavum Reipublicę admotus, & inter Potetissimos Ordines Generales Confœderatarum Belgij Provinciarum delegatus, unicus inter eos quos Amsterodamum extulit arte medica cla-

clarissimus. *Petrus VVittendel*, Reipublicæ Haganæ Medicus Ordinarius, vir ad omnium voluntates devinciendas ipsis Gratiarum manibus factus, longa artis experientia in Italia & Hollandia clarus, cujus, post mortem Heurnij, consilio in casibus periculosis Magnates Hollãdiæ utuntur. *Cornelius Vigius Hornanus*, olim in Academia Dolana Medicinę Professor, postea Illustrissimorum Comitum Embdensium Medicus Ordinarius. *Balduinus Hamæus*, profunde æruditionis vir, illustris officio Medico quo per annos plures apud Magnum Moscoviæ Ducem functus est; nunc verò maxima cum celebritate Londini in Anglia artem, qua ab Heurnio imbutus, exercet. *D. Valentius & Guilielmus vander Meer*, Reipublicæ Delfensis Medici ordinarij celeberrimi. *Gualterus Verdoesius* politissimæ doctrinæ ingenium, Medicæ artis in Republica Vltrajectina olim illustre sidus. *Theodorus Velius* Reipublicæ Hornanæ Medicus ordinarius, praxi medica per Noorthollandiam clarissimus. Ioannes Heurnius integra sanitate toto vitæ tempore usus est, semel tantum in Italia paucissimis diebus febri conflictatus, quam ilicò larga venefectio abstulit. Colico dolore statim infestabatur cum calida ac acria copiosius assumeret; ideò sibi a pipere, cæpis,

cæpis, raphano, & id genus edulijs ſtudioſiſsime cauebat. Variolis non laboravit, metuens tamen ſibi ab externo irritamento, non libenter hoc morbo affectos accedebat. Anno tandem ætatis LVI, Chriſti cIↄ. Iↄ. XCVIII, VIII. Februarij, tanta ſanitatis ſerenitas lethali procella concusſa, tandéq; everſa eſt. Publico enim in convivio muſtum rhenanum crudum & auſterum bibens, repentè percepit ſibi urinæ reddendæ facultatem interceptam. Domum igitur rediens ne urinæ quidem guttam excernere potuit, niſi poſt longa tum enematum, tum fomentorum molimina, tantum ſtillatim & acerbo cum cruciatu. Omne genus medelæ ab ipſo tentatum, ſed fruſtra, reluctantibus fatis. Sic paulatina dolorum carnificina attritus, anno ætatis LVIII, Chriſti cIↄ. Iↄ. CI. de nocte diei XXIX Maij, qui erat Martis; incidit in febrem lethalem, quæ cum ſubinde violentiam remitteret, mox acrius recrudeſceret, fomite mali perpetuò ſuperſtite, tandem toto naturæ robore dolorem immanitate attrito, placidè in Chriſto obdormivit, Auguſti undecimo, qui erat Saturni, manè paulò ante ſextæ mediam, eodem ferè quo natus momento. Is in crudeliſsimis doloribus Heurnio mentis vigor & conſtantia fuit, etiam cum jam in extrema

vitæ tegula ſtaret, ut perpetuò adſtantes & amicos placidiſsimè cum omnium ſenſuum integritate compellaret. Poſt mortem in ejus veſica ſeptem calculi reperti ſunt (qui ab ejus filio OTHONE HEURNIO Medicinæ Profeſſore adſervantur) forma & magnitudine nucis iuglandis majoris, omnes æqualis magnitudinis & ponderis, nam ſinguli pendunt drachmas duas, ita ut ſeptem XIV. drachmas expleant. Liberos ex uxore Chriſtina Bayers procreavit undecim, quorum duo ante ipſum vita functi, ipſum cum uxore inſequuti tres. Sex etiamnum ſuperſtites, quorum tres Ottho, Ioannes, Iuſtus, paternam artem Medicam colunt, unus Thomas Iuriſprudentiæ in Curia Vltrajectina vacat.

## IN I. HEVRNII EFFIGIEM.

*QVi Medicos purgavit ovans a ſentibus hortos*
*HEURNIUS, & Phœbi creſcere fecit opes.*
*Fecit opes Coas Medicis floreſcere ſilvis,*
*Et Charitum lymphis imbuit omne nemus.*
*HEURNIADES doctæ radianti munere linguæ*
*Illuſtrans magni turbida ſcripta Sophi.*
*Sollers Aſſyriâ ſcrutari ſidera curâ,*
*Et morbi faciles ritè notare dies.*
*Ereptum Græcis, Romana voce Batavis*
*Excultum nitidè, qui dedit Hippocratem.*

*Sic faciem, ſic membra tulit ſpirantia Magnus*
HEVRNIADES, *Cois ora rigatus aquis.*

I. ANRAET.

## ALIVD.

Zoïle quid ringis? caput hoc quid toruus oberras?
Iam jam Gorgoneos experiere modos.

EZECH. VALENS.

I. Poſthij Archiatri Wirzeburgici
ELOGIUM DE IOANNE HEURNIO,
Lib. 2. Sylvar.

*Illuſtrat medicam fœliciter* HEURNIUS *artem,*
*Commodus & viva voce libriſq́; ſuis.*
*Quin etiam reddit vitam morientibus ægris,*
*Mirifica miſcens pharmaca rara manu.*
*Ergo virum præſens celebratq́; & ſuſpicit ætas,*
*Poſtera ſed faciet Dis in honore parem.*

## EPITAPHIVM.

a celeberrimo DD. Heinſio poſitum
I. HEURNIO
eodem in loco cum uxore ſepulto.

*Hic ille* HEURNIADES *cui ſe tot maxima debent*
*Nomina, cui debet ſe Medicina, jacet.*
*Suſtulit hunc magni tortor crudelis Eraſmi,*
*Quem toties alijs ſuſtulit artis ope.*

*Ne tumulo quid desit, adest fidissima conjux,*
*Et vitæ comitem nunc quoq; mortis habet.*
*Sic olim conjuncta thoro, nunc juncta sepulchro,*
*Continuat pactam nondum aliena fidem.*

## EPITAPHIVM.

Memoriæ Sacrum.

IOANNI HEVRNIO

AD PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ LAVDEM

NATO VLTRAIECTI

AN. cIↄ. Iↄ. XLIII. STYLO ANTIQ. MANE

POST HORAM V.

MORIBVS SANCTISSIMIS, ET INGENIO

SVPRA HOMINEM PRÆDITO:

QVI CVM LEYDENSI

ACADEMIAE { PRIMARIA PROFESSIONE HIPPOCRATICA,
RECTORATVS SEXIES FVNCTIONE,
SVMMA SCRIBENDI CELEBRITATE, } INSERVIISSET.

PER ANNOS XX,

DENATVS LEIDÆ

AN. cIↄ. Iↄ. C. I. AVGVSTI XI, STYLO NOVO,

EODEM FERE QVO NATVS MEMENTO.

VIXIT ANNOS LVIII.

MENSES VI.

DIES VII.

## Conſcripſit, & edidit ipſe.

*INſtitutiones Medicinæ.*
*Praxis Medicinæ Novam rationē, ſeu Methodi ad Praxin Medicam libros tres.*
*De Morbis Capitis Lib.*
*De Febribus Lib.*
*De Peſte Lib.*

COMMENTARIA in Hippocratis,


*Iusjurandum.*
*Lib. De Medico.*
*Legem.*
*Lib. De Arte.*
*Lib. De Veteri Medicina.*
*Lib. De Elegantia.*
*Præceptiones.*
*Lib. De Carnibus, ſive Principijs.*
*Lib. De Purgatorijs remedijs.*
*Lib. III. Prognoſticon.*
*Aphoriſmos.*
*De natura & præſagio horrendi Cometæ qui anno 1577 orbem terrarum terruit Lib.*
*Præfationem doctam in* Secreta Alchimiæ Magnalia D. Thomæ Aquinatis, & Io. De Rupeſciſca, ac Raimundi Lullij librum.

## Ipſo defuncto, filius OTTHO HEURNIUS In Academia Leidenſi Medicinæ Profeſſor, hæc ejus poſthuma opera publicavit.

*DE Morbis Oculorum, Aurium, Naſi, Dentium, & Oris, Lib.*
*De Morbis Ventriculi Lib.*
*De Morbis Mulierum Lib.*

COMMENTARIA in Hippocratis.

*Libros duos De Hominis Natura.*
*Libros quatuor De Victus Ratione in Morbis Acutis.*
*De Morbis Novis & Mirandis Epiſtolam.*
*Orationem, De Medicinæ origine, Æſculapidum ac Hippocratis ſtirpe & ſcriptis.*
*Reſponſum ad ſupremam Curiam Hollandiæ & Zelandiæ,* Nullum eſſe aquæ innatationem Lamiarum indicium.
*De Humana Fœlicitate Lib.*




REM-

# REMBERTVS DODONÆVS.

Hoc tam egregium patriæ & ſeculi ornamentum Anno cIↄ. Iↄ. xvii. Machlinia protulit, vrbs inter Belgij præcipuas vna. Erat in viro acerrimum ingenium, & ad ſtudia magnus impetus: itaque facillimè maximam rei Medicæ & Harbariæ cognitionem ſibi comparavit, quæ nomen ejus nunquam moriturum per totam Europam latè diffudit. Et de eo hoc fatendum, in ſuâ arte illi pares paucos ſuâ ætate, ſuperiorem neminem uſquam exſtitiſſe. Hoc famæ encomio duobus maximis Imperatoribus commendatus Maximiliano, ejuſque filio Rudolpho II, ab utroque in aulam adſcriptus, ac curandæ valetudini præpoſitus fuit. Inde in hanc Academiam à Curatoribus vocatus anno cIↄ. Iↄ. lxxxii. lectionibus eam ſcriptiſque doctiſsimis mirum in modum exornavit, donec tandem vivere deſijt, anno Christi cIↄ. Iↄ. lxxxv. ætatis lxviii.

Mortuo

## Mortuo hoc Epitaphium positum est.

D. O. M.
REMBERTO DODONÆO MACHLIN.
D. MAXIMILIANI II. ET RVDOLPHI II. IMP.
MEDICO ET CONSILIARIO:
CVIVS IN RE ASTRONOM. HERB. MEDIC.
ERVDITIO SCRIPTIS INCLARVIT
QVI IAM SENEX IN ACAD. LVGDVNENSI
APVD BATAVOS PVBLICVS
MEDICINÆ PROFESSOR, FELICITER OBIIT
AN. cIɔ. Iɔ. LXXXV. AD VI. IDVS MART.
ÆTATIS SVÆ LXVIII.
REMBERTVS DODONÆVS
FIL. M. P.

## REMBERTVS DODONÆVS haec in lucem edidit.

*ANno 1546 Paulum AEginætam a Ioanne Guinterio Andernaco Latinè cōversum, ad Græcum textum accuratè contulit ac recensuit, plusculis locis interpolatis & a mendis repurgatis, præmissa epistola nuncupatoria.*

*Belgico primum idiomate, & postea Latinò, Sirpium Historiam Pemptadibus sex, seu triginta liberis comprahensam.*

*De Sphæra, sive de Astronomiæ & Geographiæ principijs Cosmographicam Isagogen.*

*Medicinalium Observationum exempla rara, & Annotationes in Antonij Benevenij ejusdem argumenti libellum.*

*Composuit & Curationes omnium morborum, quas discipulis suis dictavit, sed editas nondum.*

PETRVS


PETRUS PAAW MED. DOCT ANATOMICUS
ET BOTANICUS PROFESS. ACAD. LUGDUNOBAT.

# PETRVS PAAVV.



HOC egregium patriæ ornamentum Amſtelodamum nobis dedit, vrbs Hollandiæ magnitudine & opibus prima, ac commerciorum famâ illuſtris. Natus eſt anno cIↄ. Iↄ. LXIV. patre cognomine, matre verò Geertrude Spiegels, utraque patritiâ illic familiâ. Puerum admodum, deprehensâ ingenij indole, ſtudijs pater mancipavit. Ac prima ſanè rudimenta eorum Amersfortię ſub Geſſelio poſuit, quæ mox ſub Alardo Friſio, Amſtelodamenſis Scholæ Rectore, poſtea in Frisiâ ad majorem dignitatem tranſlato, continuavit. Et tantos in Latinâ pariter ac Gręcâ linguâ progreſſus fecit, ut ęqualium multos antecelleret, ſuperiorem verò neminem haberet. Inde, adultâ mox ætate, ad graviora Medicinę ſtudia animum applicare placuit. itáque Lugdunum Batavorum venit anno cIↄ. Iↄ. LXXX. vbi præceptoribus vſus Gerardo Bontio, Ioanne Heurnio, ac Remberto Dodonęo, quibus familiaris fuit, ut & Lipſio. Peregrè profectus anno cIↄ. Iↄ. LXXXIV. Lutetiæ primum Pariſiorum aliquamdiu egit, ibique in

Medi-

Medicinâ ſe exercuit ſub Ludovico & Ioanne Duretis. & Anatomicis operam quoque ibidem dedit, Ioanne Fabro præceptore vſus. Hinc Aurelias cum ſe recepiſſet, claris famâ Iureconſultis, Gulielmo Furnerio, & Ioanni Roberto, innotuit: ſed nullo illic Medicinæ pretio. Exortis verò per id tempus tumultibus Gallicis inde ejectus, comitatus Rumoldo Hogerbetio, & Gellio ab Hillamâ, illo Bataviæ, iſto Friſiæ nunc conſiliario, ſecundo Ligeri Nannetum profectus, conſcensâ ibi navi in Daniam abijt. Vnde cum ſe Roſtochium contuliſſet, ibi aliquantiſper ſubſtitit, invitatus à V. CL. Henrico Brucéo, primario ibidem Medicinę Profeſſore. Sub quo cum ſe aliquamdiu in Anatomicis potiſsimum exercuiſſet, tandem publicè ſummum in Medicinâ Doctoris gradũ eſt adeptus anno cIↃ.IↃ.LXXXVII. Simul etiam Medicinam profiteri in Academiâ illâ cœpit, & Anatomica propoſuit; tum Galenum quoque *De cibis boni & mali ſucci:* quem & cum Notis ibidem edidit. Itidem alios quoque tractatus, *De Exercitijs, Lacticiniis & Bellarijs*. Poſtea relicto Roſtochio Italiam petijt, quâ vix per trimeſtre inſpectâ, cum in familiaritatem Aquapendentis Anatomici, & Cortuſi Botanici ſe inſinuaſſet, morbo parentis ſubitò revocatus in


patriam redijt. In ejus verò Academia Professionem Medicã accepit anno cIↄ. Iↄ. LXXXIX. mandata ipsi provincia gemina, vt æstate Botanica, hieme Anatomica tractaret. Vtrunque hactenus cum fide pariter ac laude sua maxima præstitit, instructo etiam Horto Publico, cujus præfecturam sustinet, & examinatis subjectis humanis plurimis, quorum sceletis etiamnum ornatum visitur Theatrum Anatomicum. Vxorem duxit in hac ipsa Vrbe Mariam Hautenam, Iani Hauteni, Vrbi à Secretis, filiam, anno cIↄ. Iↄ. XCIII. qua erepta anno cIↄ. Iↄ. C. XII. nunc viduus agit. In Academia ter recturæ munere ornatus est: annis cIↄ. Iↄ. C. cIↄ. Iↄ. C. VI. & nunc hoc ipso cIↄ. Iↄ. C. XIV. Edita ab eo.

*Descriptio ac Delineatio Horti Publici.*




CAROLUS CLUSIUS CLARISS.
BOTANICUS PROFESS. HONOR.

# CAROLVS CLVSIVS.



Hic in attrebatum vrbe natus anno cIↄ. Iↄ. xxv. familia nobili, ad fortunæ bona animum honeſtum attulit, & ingenium liberale, ſtudijſq; optimarum artium capeſſendis aptiſsimũ. Vt primum ex ephebis exceſſit, Gandavum à parentibus miſſus, ſub optimis præceptoribus optimis artibus ritè imbutus eſt. Ætate jam grandior factus ad graviores diſciplinas, & imprimis jus Civile diſcendum, Lovanium ablegatur: vnde mox digreſſus anno ætatis xxii. Marpurgum in Germaniam profectus eſt, vbi diligentiſsimus Oldendorpij auditor aliquandiu, cum in familiarem ab Andræa Hyperio Theologo conſuetudinem receptus eſſet, de conſilio ejus Witebergam Saxonum adijt, potiſſimum ut Philippum Melanchthonem videret, audiret, ac propius cognoſceret. Circa annum L. in Narbonenſem Galliam ſe contulit: unde paucos poſt annos ob bellum inter Carolum V. Cæſarem, & Henricum *II*. Galliarum regem, exortum in patriam à patre revocatus, iſtuc aliquot annos vixit, donec anno LX denuò in Galliam

rever-

reverteretur, Lutetiæq; biennium viveret. Inde propter inteſtinum bellum Lovanium abijt, & iſtic anno vno vixit. Anno LXIV evocatus in Germaniam bimeſtri iſtic tranſacto, per celeres equos in Belgium redijt, & inde per Galliam in Hiſpaniam profectus, plures ejus provincias, & magnam Luſitaniæ partẽ, anni ſpatio perluſtravit. Anno ſequente in patriam reverſus uſque ad annum LXXI. in ea permãſit, quo Lutetiam profectus, & inde per Caletes in Angliam. Illa autẽ ex parte peragrata, denuò Lutetiã & in Belgium regreſſus eſt: iſtic hærens uſque ad annum LXXIII. Tunc a Cæſare Maxæmyliano *II.* evocatus Viennam Auſtriæ conceſsit, ubi in aulæ familiarium numerum benignè receptus, & Horto Cæſareo prꝯfectus, mox quoque locum eundem apud Rudolphũ *II.* Maxæmyliani F. tenuit. Sed inde aulæ tædio Francofurtum ſe cõtulit anno LXXXVII, ubi ſexennio privatim exacto, (etſi vix latere potuerit, nam & conſuetudinem ejus gratiſsimam habuit Guilielmus Landgravius Haſsiæ, & annuum ei ſtipendium decrevit) anno XCIII Lugd. Bat. evocatus à Curatoribus Academiæ iſtius, illic ætatis & gloriæ ſatur vivere deſijt anno cIↄ. Iↄ. C. IX. cum annos vixiſſet LXXXIV. Vir in quo præter exactiſsimam ſtirpium cognitionem, e-

rant

rant cæteræ dotes præclaræ complures, & peritia linguarum Græcæ, Latinæ, Italicæ, Hispanicæ, & Germanicæ. Sepultus est in templo B. Mariæ, cum hoc Epitaphio.

BONÆ MEMORIÆ
CAROLI CLVSII.
ATREBATIS.
POS.

QVI OB NOMINIS CELEBRITATEM PROBITATE, ERVDITIONE, TVM REI INPRIMIS HERBARIÆ ILLVSTRATIONE PARTAM, INTER AVLÆ CÆS. FAMILIARES ALLECTVS, ET POST VARIAS PEREGRINATIONES A NOBB. DEMVM ET AMPLISS. DD. CVRR. ET COSS. IN HANC VRBEM CONDECORANDÆ ACADEMIÆ EVOCATVS, ET STIPENDIO PVB. PER ANNOS XVI. HONORATVS XCIV. Æ. S. ANNVM INGRESSVS OBIIT CELEBS IV. APR. M. DC. IX.

## Scripta ab eò edita.

*Tabula Chorographica Galliæ Narbonensis.*

*Vitæ Hannibalis & Scipionis in linguam Gallicam translatæ.*

*Dodonæi Historia Plãtarũ, Gallicè.*

*Garciæ ab Orta Dialogi, De Aromatibus apud Indos nascentibus, Latinè cum Notis.*

*Nicolai Monardis medici Hispalensis De Simplicibus Med. novi orbis, Latinè.*

*Antidotarium Florentinũ, Latinè.*

*Historiæ stirpium Hispanicarum à se observatarum.*

*Christophora à Costa Historia aromatum.*

*Observationes plantarum Pannonicarum.*

*Petri Bellonij Observationes, Latinè. Ejusdem de Neglectâ stirpium culturâ.*

*Nicolai Clenardi Epistolæ.*

*Historiæ Americanæ, Latinè.*

*Tabula Hispaniæ, ab Ortelio edẽdæ.*

ÆLIVS


EVERARDUS VORSTIUS ME
DICINÆ PROFFESS.

V ÆLIVS

# AELIVS EVERARDVS VORSTIVS.



ATVS anno cIɔ. Iɔ. LXV. die XXVI. Iul Ruræmūdę in Menapijs ad Ruræ & Mosę confluentem, ex Vorstiorum clara in illo tractu familia, parentibus Henrico Vorstio & Maria Schæria. Celebres patrum memoria fuêre Iohannes Vorstius Brabantię Cancellarius, & Petrus Ioh. Filius, Episcopus Aquæpendentis & Auditor Rotæ ad vrbē. Vixit etiam non multis ab hinc annis Nicolaus Vorstius, non postremę eruditionis vir. Pueritiam Everardus partim in patria, partim Venlonæ apud avos maternos exegit, usque ad annum ætatis decimum, quo Dordracum in Batavos cum parentibus ob bellicos tumultus migravit; ubi litteris humanioribus primùm informari cepit anno quintodecimo Lugdunum Batavorum à parentibus missus est; audivitque hic biennium I. Lipsium, Bon. Vulcanium, P. Tiaram, aliosque, qui tunc in ea Academia erant, viros celeberrimos. Exin in Germaniam ablegatus est, in qua

qua ultra quadriennium vixit, primum Heidelbergę & apud Nemetes, deinde Coloniæ Agrippinæ Philoſophię & Medicinę ſtudijs addictus. Hinc ex parentum voluntate ad Artem medendi vberius perfectiuſque hauriendam in Italiam contendit, in qua totas annos novem tranſegit. Patavij in Medicina audivit Tres Hieronymos, Mercurialem, Capivaccium, & Aquapendētem, & Bernardinum Paternum; in Philoſophia Iacobum Zabarellam, alioſque præſtantiſsimos viros. Bononiæ Mercurialem iterum, qui tunc recens eò à Senatu Bononienſi evocatus fuerat, Ioh. Coſtęum, Caſparum Taliacotium, & Vlyſſem Aldrovandum, in rerum naturalium Hiſtoria incomparabilē. Ferrariæ Hieronymum Braſavolum, Alphonſum Cataneum Archiatrum. Hujus familiaritatem nactus in aulam Principis illi patuit acceſſus, vnde rerum aulicarum multorumque nobilium notitiam atque amicitias ſibi comparavit, donec ejuſdem Catanei opera & commendatione, D. Nicolao Granæ Epiſcopo Anglonenſi in Magna Gręcia ad Sinum Tarentinum, in Medicum domeſticum aſcitus eſt; apud quem in extremâ hac Italiæ ora ultra triennium vixit, multaque obſervavit, quæ ad regionum illarum, Iapygiæ, inquam, Magnę Græcię,

 Luca-

Lucanię, & Brutiorum antiquitates, ſitum, mores, rerumque naturalium cognitionem ſpectāt. Epiſcopo febre acuta extincto, in clientelam Marchionis Querceti D. Fabritij Pignatelli, qui tunc forte iſthic in ditione ſua verſabatur, ſe dedit; quocum in agro Sybaritico ſeu Thurino ad mare Ionium hybernavit, & anno ſequenti per Brutios, Lucanos, & Picentinos Neapolim profectus eſt; ibidemque in aula ejuſdem annum integrum commoratus eſt. quo tempore non ſolum medicinam in vrbe hac florentiſs. cum laude fecit, ſed exactiſsimè vicinam Campaniæ oram perluſtravit, Puteolos, Baias, Miſenum, Cumas. Excurrit etiam ſemel per Samnium Bovium uſque, ad loci illius Ducem ægrotantem à Marchione miſſus. Tandem longæ à patria pertæſus abſentiæ, domum poſtliminiò repetere illi viſum fuit, quo poſt XIV. annorum peregrinationem anno cIↃ. IↃ. XCVI. menſe Iunio incolumis pervenit. Delphos Batavorum, à Comitiſsâ Meurſenſi honeſto ſtipēdio invitatus, poſtquam ibi Medicinam biennium fermè exercuiſſet, ducta intereà vxore, à Curatorib. Academiæ Lugdunobat. ad Profeſsionem publicam evocatus fuit; in quo munere annos jam XV, honorificè verſatur, bis ſommo in Academia Magi-

ſtratu

ſtratu functus: Decoratus honore MEDICI ORDINARII CELCISSIMI PRINCIPIS MAVRITII NASSOVII.

## Habet præ manibus.

*OBſervationum rerumq́ memorabilium per Magnam Græciam, Iapygiam, Lucaniam Brutios, adjacenteſq́ regiones Commentarium Hodæporicum.*

*Notas præterea ad Corn. Celſum De Re Med. aliaque.*

Scripſit olim Commentariolum de Annulorum origine in gratiam Abrahami Gorlæi, qui Dactyliothecæ ejus præfixus eſt.

Extat etiam ejuſdem Oratio funebris, in obitum Caroli Cluſij, cum quo, dum viveret, intimam coluit amicitiam.






OT-

# OTTHO HEVRNIVS.



ANNO cIↄ.Iↄ.LXXVII, Septembris VIII, ſtylo antiquo, Ioannes Heurnius (poſtea Primarius in Academia Leydenſi Medicinæ Profeſſor) primogenitum hunc filium ſuſcepit Vltrajecti, in patria ſua, ex uxore Chriſtina Bayers. Inde quadrimus anno cIↄ. Iↄ. LXXXI, Octobris XXXI, cum parentibus Leydam advectus eſt: primaque ibi ſtudiorum fundamenta poſuit ſub Nicolao Stochio, uiro gravi ac prudenti, & in puerorum ingenijs excolendis ingenio ſingulari. Petri deinde Molinęi, celeberrimi hodie Theologi, tum in humaniore literatura, tum in Philoſophia, inſtitutione uſus eſt. Magiſter autem Artium in Academia Leydenſi promotus, anno cIↄ. Iↄ. XCIX. Auguſti xxſv., anno ſequenti cIↄ. Iↄ. C. Mai VIII. ad Philoſophiæ Profeſsionem a Nobiliſs. & Ampliſs, Curatoribus & Coſs. evectus eſt. Anno cIↄ. Iↄ. CI. Iulij VII. ibidem Medicinæ Doctor renuntiatur. Cumque eodem anno Auguſti XI, pater ipſius mortalitatem expleviſſet, ad Medicinæ Profeſsionem menſis Novembris ſequen-

tis

tis die VIII, ab ijſdem Curatoribus & Coſs. promotus eſt: quo in ſtadio hodie etiamnum perſeverat.

## Edidit, & editurus eſt.

Vivente patre edidit anno 1600, ætatis 23, *De Barbarica Philoſophia libros duos*, ingenij vernantis rudimentum.

Defuncto patre quæ poſthuma ejus opera publicaverit, vide in vita IOANNIS HEVRNII.

Ipſe autem jam editioni adornat, in *Praxi Medica, & Theoria* diverſa: ac quædam *Anatomica*.

Nonnulla etiam ad *Philoſophiam Literaſq́; humaniores ſpectantia*.

## IN EIVS EFFIGIEM.

*Mentē Heurni corpuſq́; ſimul Parca improba nobis*
*Suſtulit, hinc morbis libera facta via eſt:*
*Mentem Heurni, vultumq́ue ſimul, nomenq́; parentis*
*Exprimit, & terris filius ipſe dedit.*
*Hinc alios picta ſpectas in imagine tantum,*
*Heurniadem viva cernis in effigie.*

DANIEL HEINSIVS.

## ALIVD.

*Hic Ottho, hic alter viva eſt in imagine lector*
*Heurniades, docti docta patris ſoboles.*
*Parce modo Lacheſis, ſpes ſurget & altera Leidæ,*
*Non minor hic, certè a patre ſecundus erit.*

STEPHANVS HELSDINGIVS.

REY-


REINERVS BONTIVS.
MEDICINÆ PROFESSOR.

# REYNERVS BONTIVS.



EYNERVS BONTIVS, Gerardi filius Medicinæ & Philoſophiæ Naturalis profeſſor ordinarius, natus eſt Lugduni Batavorum, anno cIↄ. Iↄ. LXXVI. Anno autem cIↄ. Iↄ. XCIX. philoſophiam naturalem in eadem Academia cœpit profiteri. Cum vero annos aliquot Medicinam fœliciter feciſſet, Medicus familiaris Illuſtriſsimi Principis HENRICI NASSOVII factus eſt. Neque ita multo poſt, cum ab optimo ſucceſſu artis & experientia Maximo Principum MAVRICIO Hollãdię ac Zelandię gubernatori &c. innotuiſſet, & favorem ejus ſingularem & honeſtum ab eo cõſecutus eſt ſtipendium: dignus habitus, qui ſalutis ejus curam gerat, cujus ſalute innititur Reſpublica.

ICO-

# ICONES & VITÆ

quotquot haberi potuerunt,
eorum qui

*LITTERAS*

in

ACADEMIA LVGDVNO-BATAVA

unquam profeſsi ſunt:

*Juxta ſeriem temporis, quo quilibet eorum, ab ipſo Academiæ primordio, profeſſionem ſuam auſpicati ſeq; mutuo inſequuti ſunt,*

ordine hic induſtriè & fideliter exhibitæ.




PE-

# PETREIVS TIARA.



NATVS anno cIↄ. Iↄ. XVI, Idibus Iulij, Woudrichemi, quod maritinum oppidum Frisiæ, quæ Lavicam & Flævum fluvios interjacet, Vir ingenij sagacis, iudicij acris: nec solum Philosophus ac Medicus, sed & literarum peritissimus. Ac Græcas in Duacenâ primum & Lovaniensi aliquandiu docuit. Deinde cum Leidæ nova huc Academia erigeretur, in ipsis primordijs operam egregiam navaturus huc se contulit; adeoque gratus fuit, ut primus in eâ Rector Magnificus crearetur. Postea cum Franikeræ quoque Academiam Ordines Frisiæ instituerent, ejus initia ut adjuvaret, relictâ Leidâ illuc abijt: ubi non ita multo post diem obijt anno Christi cIↄ. Iↄ. LXXXVI. cum vixisset annos LXXII.

Scripta ejus.

*Poemation De Nobilitate & Disciplinâ militari veterum Frisiorum.*

*Platonis Sophistes in Latinam linguam versus, &c.*

*Euripidis Medea.*

*Pythagoræ, Phocylidis & Theognidis sententiæ.*

Restant apud amicos alia opuscula Græcis itidem Latina facta,

*Homeri Hymni.*

*Hippocratis Aphorismi, & Prognostica.*

*Platonis Eutiphron, & Alcibiades II.*




IV-

# IVSTVS LIPSIVS.

HOC florentiſsimum ævi ſui ingenium in Iſcano municipio Brabantiæ extulit anno cIↄ. Iↄ. XLVII. familia honeſta, & per matrem nobili. Annos ſex jam natus Bruxellas cum parentibus migrat, & ſtudiis illic literarum initiatur. Annum agens decimum, Athum Hanoniæ oppidum ablegatur, ibique biennio exacto carmen ſcribere cœpit; & anno ſequēte Coloniam mittitur ad Gymnaſium, Societatis IESV, ubi Græcis, Rhetoricis, ac Philoſophicis operam navavit. Itaque vix tredecennis orationes ſcripſit & habuit, pueriles quidem, ſed quas gravior etiam ætas in illa ætate laudaret. Philoſophica ſic illi placuere, ut ſufflaminandus videretur. Sub id tempus pietate motus, Societate IESV adgregari voluit, quod cum inaudiviſſent parentes, abduxerunt, & annos XVI natum, Vbijs Lovanium evocarunt. Ibi Philoſophiæ ſpatia emenſum, amœna literarum & antiquitatis ſtudia ad ſe totū traxerunt. Mox etiam ad Iuriſprudentiam animum applicat. Intereà pater ipſi fato eripitur, & non multo poſt mater.

Annum

Annum tum ferè agebat XVIII, & per vtriusque parentis mortem liber in Italiam iter capessit, editis prius libris *Variarum*, quibus ad famam viam sibi stravit. Inscripserat hos Antonio Perenotto, Cardinali Granvellano, acri ingeniorum æstimatori; isque ingenio & eruditione ejus delectatus, in domum eum suam recepit, & à Latinis Epistolis esse voluit. Illic biennium egit, otiumque omne lapidibus inspiciendis ac veteribus libris inter se comparandis addixit, qui in Vaticanâ, Farnesianâ, Sfortianâ Bibliothecis. Simul viris doctrinâ clarissimis innotuit, Mureto, Manutio, Latinio, Bencio, Vrsino, Mercuriali, Sigonio, Victorio; qui omnes adolescentis famę faventes ingenium exosculati sunt. Lovanium deinde rediijt, annum ibi vnum egit, satis juveniliter, in choreis, ludis, ac cæteris ejus ætatis vanitatibus: sed revocatâ saniore mente, ut se expediret, in Sequanos, & Germaniam peregrinationem instituit. In Sequanis cum Victorem Giselinum, doctoris medici titulo auctum, publicè laudasset, celebrato convivio in febrim acerrimam incidit, eamque satis periculosam. Valetudini redditus Viennam in Austriam se contulit, vbi Busbequio, Cratoni, Biesio, Sambuco, Pighioque innotuit, & placuit; qui rerinere illum

lum varijs conditionibus conati ſunt, ſed fruſtra. nam patriam reſpectabat, & animo redeundi, per Bohemiam, Miſniam, Thuringiam, & vicina Saxoniæ loca viam facit, cum ecce triſtes de afflicta patriâ, & attrito per militum injuriam patrimonio nuntij. ideò Iënæ paulo plus annum hæſit, & docuit. Sed rebus in Belgio paululum pacatis oculos iterum ad ſuos & ſua flexit, & Coloniam Vbiorum venit. Illic exactis novem menſibus Iſcanum repetijt, animo deſtinans ruri degere, in alto otio & quiete. Ac jam ſerio rureſtre illud vivendi genus ingreſſus erat, cum ecce bello civili iterum ſuſcitato, licentia militaris ex agro in urbem migrare compulit. Itaq; Lovanium redux, ex amicorum conſilio, Iuriſprudentiæ ſtudijs magis ſerio ſe dedit, & titulum etiam Iuriſconſulti publicè poſt ſolennia experimenta ſumpſit, anno cIↃ. IↃ. LXXVI. A foro tamen & Rep. perpetuo abſtinuit. Inde acrius rurſus turbato Belgio, & Lovanio capto, Lugdunum in Batavos ſe tranſtulit, Ordinum vocatu, anno cIↃ. IↃ. LXXIX. Ibi tredecim annos honeſtiſsimè habitus docuit cum ſummo applauſu. Sed querulam & debilem ut plurimum valetudinem expertus, præcipue anno cIↃ. IↃ. LXXIX, ætatis ſuæ XXXII, ut ipſe ad Deum Opt. Max.

 preci-

precibus suis testatur. Donec tandem IOANNIS HEVRNII, cujus solius opera utebatur, industria sanitatis instaurationé recipit. Diu CL. Lipsius tædiosissimo malo conflictatus fuerat, febriles insultus varios expertus, stomachus totumque corpus ipsi flaccidum & marcidum. Nec continua per urinæ ductus copiosa evacuatio (quæ ipsi adeò solennis erat ut medico imperito vel diabetes suspicionem facere potuisset) morbo auferendo par erat. Contigit ut assumpto pharmaco materiæ commotæ onus excernens, perciperet ingentem se copiam alvo effundere, eamq; continuam & cohærentem. Intuetur quid rei sit, videtque attonitus massam figura & colore intestina exprimentem. Consternatur, ilicoq; Heurnium vocat, de vita sua actum dicens, nam omnia intestina se effudisse. Inspicit alvi proluviem Heurnius, & leto uultu ad Lipsium conversus, respice, inquit, trophęa de tuo morbo, hic focus & sentina totius mali jacet. Nam erat lenta & viscida pituita paulatim in tota intestinali fistula coacervata a sedentaria & in studijs contabescéte vita, ejus figuram referens, quæ putrescens partibusq; vicinis nobilibus nexam communicans, sentinam malorum in totum corpus propagaverat. Sic fomite mali expurgato recreatus est vir

clarif-

clarissimus. Exorta deinde cũ Theodoro Cornhertio controversiâ super puniendis hæreticis, è Bataviâ discessit, profectione per Germaniam in Eburones, ad Spadanas aquas, morbo, quo laborabat, hepatario curando, institutâ. In itinere Moguntiacũ deflexit. Inde digressus, cum Leodici, tum Spadę biennium fere egit. Interea fama discessus per Germaniam sparsa, certatim ad se Principes vbique vocarunt; in Italia Clemens VIII P. M. Senatus Venetus, Ferdinandus Medices Etruriæ, & Franciscus Maria Vrbini duces, ut omittam Cardinales plurimos: in Gallia rex Henricus IV: in Germania, Ernestus Vbiorum & Eburonum antistes, Septemvir Imperij, ejusque frater Gulielmus Boiorum dux. Wolfangus Salisburgensium, Iulius Herbipolensium, Andreas Vratislaviensium præsules. Ad hos cum accederent Brabantiæ Ordines, patriam præferre, & Lovanium reverti visum fuit. Illic, pariter atque antea in Batavis, tanta fama docuit, ut ipsos Principes aliquando auditores habere meruerit: qui postea rude donatũ in sanctissimum Senatum, quem rerum ac Status vocant, adlegerunt. Et, ... antea Historiographi titulo auxerat Hispaniarum rex Philippus *II*. Anno cIɔ. Iɔ. CVI. XV Kal. April. è tussi, gravissimisq; stillan-

tis cerebri defluxionibus æger esse cœpit, moxq; ingravescente morbo x Kal. April. placide ac leniter exspiravit, annos cum vixisset LIX. Mortuo marmoreum tumulum unà cum statuâ uxor vidua excitavit; Senatus vero populusque Antverpiensis sarcophago itidem marmoreo complecti voluit; hâc Epigraphe additâ.

IVSTI LIPSII
QVOD CLAVDI POTVIT
HIC IACET
S. P. Q. ANTVERP.
INCLYTI VIRI
FAMÆ ORBI NOTÆ
VIRTVTI COELO RECEPTÆ.
H. M. P.

## Edita ab eo hæc sunt.

*De diva Virgine Hallensi liber.*

*De Diva Virgine Sichemiensi sive Asspricolle.*

*Admiranda, sive De Magnitudine Romana libri* IV.

*De Militia Romana libri* V.

*Poliorcetica, libris* V.

*De Amphitheatro Romano liber.*

*De Amphitheatris quæ extra Romam liber.*

*Saturnalium sermonum libri* II.

*qui de*

*qui de Gladiatoribus.*
*De Cruce libri* III.
*De Vesta & Vestalibus Syntagma.*
*De Bibliothecis Syntagma.*
*Commentarij pleni in Corn. Tacitum.*
*Animadversiones in C. Velleium Paterculum.*
*Lovanium, sive oppidi & Academiæ ejus descriptio, lib. III.*
*Politicorum, sive Civilis doctrinæ libri* VI.
*Monita & Exempla Politica, libris* II.
*De Constantia libri* II.
*Manuductionis ad Stoicam Philosophiam libri* III.
*Physiologiæ Stoicorum libri* III.
*Commentarij & scholia in L. Annæum Senecam philosophum.*
*Dissertatiuncula apud Serenissimos Belgicæ Principes* Albertum & Isabellam *Austrios: item Commentarius perpetuus in C. PlinI Panegyricum, Traiano Imp. scriptum sive dictum.*
*Variarum Lectionum libri* III.
*Antiquarum Lectionum libri* V.
*Epistolicarũ Quæstionum libri* V.
*Electorum libri* II.
*De recta pronunciatione Latinæ linguæ Dialogus.*
*Ad Valerium Maximum Notæ.*
*In Tragœdias, quæ L. Annæo Senecæ tribuuntur, Animadversiones.*
*Iudicinm de Cõsolatione M. Tullij Ciceronis.*
*Satyra Menippæa.*
*De vna Religione liber, adversus Dialogistam Theodorum Cornhertium.*
*Dispuuctio Notarum Mirandulani codicis ad Corn. Tacitum, adversus Lucium.*
*Rejectiuncula Sannionis cujusdam Batavi, pro Diva Virgine Hallensi.*
*Epistolarum Centuriæ* X.
*Epistolica Institutio, è dictantis ore excepta.*




RVDOL-

# RVDOLPHVS SNELLIVS.



NATVS est anno cIↃ. IↃ. XLVI. parentibus honestissimis, familiâ cum vetere tum splendidâ, in vrbe Hollandiæ non ignobili, Oudewaterâ, ad Isselam flumen; quę anteà *Cornelium* quoque *Valerium*, posteà *Jacobum Arminium* dedit, celeberrimi nominis Viros. Hîc prima literarum tinctura imbutus, mox cum disciplinæ altioris capax esse videretur, Vltrajectum ablegature ad eam Scholam, in quâ antea floruerat *Georgius Macropedius*. Atque hinc anno altero post ob parentis obitum domum commeans, aliquamdiu apud matrem hæsit, Poeticæ studiosè incumbens, quam tamen posteà iterum neglexit. Vix puerilem ætatem egressus in Germaniam se contulit, ac primum quidem Coloniam Agripp. adijt, vbi annum integrum sub *Valentino Nabodo*, viro Mathematum peritissimo operam Arithmeticæ & Geometricæ nauavit. inde Heidelbergam profectus, sub *Immanuele Tremellio* Hebræam linguam addiscere cœpit. Hinc peste eiectus Marpurgum in Hassiam concessit, ubi diutius commoratus ad docendi

munus

munus traduci ſe paſſus eſt, & literas Græcas Latinaſq; totamq; artium κυκλοπαιδείαν cum magno applauſu juventutem docuit, ſuiq; nominis famam per totam Germaniam latiſsime diffudit. eoq; in loco anno ſeculi LXXII Magiſtrali laurea, quamuis reluctantem decoravit *Bernardus Copius*. Cum autem perſuaſum ſibi haberet, peregrinatione prudentiam ciuilem comparari, in Italiam ire ſtatuit, exactiſq in Germania annis XVI. Primum Piſas profectus eſt, vbi ſeſquennium Medecinæ operam dedit: inde Romam adijt, epitomen olim orbis. Mox ex longa peregrinatione redux anno ſeculi LXXVIII in natale ſolum Oudewateram remeauit, vbi aliquãtiſper conſedit. Quum vero per id tempus Lugduni Batavorum Academia noua erecta eſſet, Curatorum vocatu in illam ſe tranſtulit; ibique ſimul & priuatim quoddam tirocinium juuentuti Batavicæ aperuit, & operam ſuam publicè Academiæ impendit; ac continuos XXXIV annos primo linguam Hebraicam, inde Mathematicas diſciplinas interpretatus eſt. Anno ſeculari cIↄ. Iↄ. c. ab Illuſtriſsimo Principe Mauritio, Haſsiæ Landgrauio literis propria manu-ſcriptis inuitatus, vti ſe veteris amicitiæ ergo inuiſeret, anno demum tertio poſt illuc ſe contulit. & mox honeſtè

honestè iterum dimissus, aureo torque, & effigie Principis donatus, & quadrigis denique ejus atque impensis honoris ergo Francofurtum, domum redijt. Inde Rector Academiæ Magnificus creatus dignitate laudabiliter usus, mox ad eam biennio continuandam revocatur. Tandem laboribus studiorum fractus, annisque gravis, correptus astmate diem obijt postridiè Kal. Martias anno CHRISTI cIↃ. IↃ. CXIII, ætatis suæ LXVII.

## Scripta ejus edita hæc sunt.

*Commentarius in Dialecticam P. Rami.*

*Ejusdem alius forma Dialogi conscriptus.*

*Tractatio de Praxi Logica.*

*Ethica methodo Rameâ cōscripta.*

*Snellio Ramæum Philosophiæ Syntagma.*

*Commentar. in aureum Philippi Melāchtonis de Anima Libell.*

*Explicationes in Arith. P. Rami.*

*Partitiones Physicæ.*

*Prælectiones in Geometriam Petri Rami.*

*Annotationes in Ethicam, Physicam, Sphæram } Valerij.*

*Commentaria in Rithoricam Thalæi.*


BONAVENTURA VULCANIUS
GRÆCÆ LING. PROF & INTERPRES.

BONA-

# BONAVENT. VVLCANIVS.



NATVS est Brugis Flandrorum anno Christi cIↃ. IↃ. XXXVIII. die XXX. mensis Iunij. Patrem habuit Petrum Vulcanium, qui ob insignem eruditionem, pari cum eloquentiâ conjunctam, magno illi Erasmo charus imprimis atque acceptus fuit, ut Epistolæ ejus testantur. Ab hoc optimis præceptoribus traditus, annos circiter XVI natus tãtos in vtraq; linguâ & humanioribus literis progressus fecerat, ut æqualium suorũ nulli cederet. Mox Lovanium ablegavit; Vbi cum per biennium egisset, dubitante patre, Iurisne an Medicinæ studio filium addiceret, opportunè admodum accidit, ut eo ipso tempore quæreretur juvenis aliquis Græcè & Latinè doctus, qui Illustrissimo Francisco á Mendozâ, Cardinali & Episcopo Burgensi, à studijs esset. cujus rei is negotium dederat Ioanni Paccio, Historico Regio, qui tum temporis Lovanij agebat. Ac pater commodam hanc occasionem visendæ Hispaniæ, & simul linguæ addiscendæ, non negligendam esse ratus, non gravatè eum Paccij ejusdem

 fidei

fidei commiſit, qui in Hiſpaniam duceret & Cardinali ſiſteret, commendaretque. iſq; anno cIↃ. IↃ. LIX. per Galliam in Hiſpaniam abductum, Burgis Cardinali tradidit; qui peramanter exceptum in familiam ſuam aſcivit, & ſtipendium honorificum aſsignavit. cum autem is tum temporis totus eſſet in ſcribendo libro, *De naturali noſtrâ per dignam Euchariſtiæ ſumptionem cum Chriſto vnione*, ejus operâ ſtatim in tranſſcribendis, & Latinè vertendis, multis Patrum Gręcorum, Cyrilli maximé Alexandrini, & Iſidori Peluſiotæ, qui coætaneus illi fuit, aliorumque auctoritatibus anteà non editis, fuit magnopere adjutus. Ejuſdem auſpicijs Cyrilli libros XVII, *De adoratione in ſpiritu, & veritate*; primus Latinos fecit. Præterea Nicolai Cabaſilę Methonenſis Epiſcopi Orationes VII, *De vitâ in Chriſto*; anteà neque Græcé neque Latiné à quoquam editos, Latiné vertit, qui liber poſteà inſpiciendus Theologo cuidam datus, vna cum verſione intercidit, vſus eſt etiam Cardinalis ejus opera ad Epiſtolas Latiné primùm, deinde etiam Hiſpanicé ſcribendas. Bibliothecę etiam ſuę quam codicibus Græcis manuſcriptis inſtructiſsimam habebat eum præfecit. Cùm verò poſt obitum Cardinalis, frater ejus, Ferdinandus à Mendozâ, Archi-

Archidiaconus Toletanus, eum in familiam ſuam recepiſſet, mortuo etiam illo, à patre graviter ægrotante per literas ad Ioachimum Hopperum ſcriptas domum revocatus, cum poſt XI. annorum abſentiam periculoſiſsimo tempore per Galliam redijſſet quantâ potuiſſet feſtinatione, & patrem jam vitâ functum reperiſſet; ac miſerum patriæ ſtatum æquis oculis aſpicere non poſſet, compoſitis ibi rebus ſuis, in Germaniam abijt. vbi primum Coloniæ commoratus, *Cyrilli librum adverſus Anthropomorphitas* anteà non editum vertit, & Latiné edidit; cui adjecit primum ejuſdem Autoris librum *De adoratione in ſpiritu & veritate*, abs ſe verſum: qui antea ſolus & perperàm verſus in operibus Cyrilli legebatur. inde Baſiliam profectus, & ope Ioannis Baptiſtæ Heintzelij, duumuiri Auguſtani, vetuſtiſsimum exemplar in membranâ exaratum nactus, in quo erant *Cyrilli Dialogi ad Hermiam*, & alia; antea perperam admodum ab interprete habiti; eos de integro vertit. Ibidem etiam *Iſidori libros Originum* vna cum *Martiano Capella* ab innumeris mendis ope MS. codicum, & ex conjecturâ emendavit. Inde Genevam profectus, *Arriani Hiſtoriam de rebus geſtis Alexandri*, turpiſsimé ab interprete verſam, ope MS. exemplaris infinitis locis cor-

 rexit,

rexit, & novâ interpretatione donavit. vnde Basileam reversus, cum etiam de matris obitu nuntium accepisset, & jam res Belgicas in meliore paulò statu esse cognosceret, peregrinandi satur domum redijt. Et cum in Frisiam cum Legatis Ordinum Belgicorum proficisceretur, ac Leidâ iter faceret, à Curatoribus Academiæ Professor linguæ Græcæ designatus anno cIↃ. IↃ. LXXVIII. triennio demum post Leidam venit, & Professionem suscepit. Ab eo tempore asiduè tam publicè docendo quàm scribendo, per annos XXXII, de re literariâ optimé meritus est. Etiamnum emeritus libros tractat, ingressus annum LXXVII. Ipse de se hoc Epigrammate testatur.

*TEr denos docui Leidis binosque per annos*
*Cattigenûm pubem Graijugenûm ore loqui.*
*Nunc manibus, pedibusque, oculisque, atque auribus æger,*
*Et senio languens lampada trado alijs.*

## Scripta ab illo edita hæc sunt:

*CYrilli Alexandrini Patriarchæ liber adversus Antropomorphitas, Grece & Latine: cui adjunctus est ejusdem Cyrilli liber, quod Christus sit vnus.*

*Ejusdem Cyrilli de Adoratione in spiritu & veritate libri septendecim, quos ille primus vertit.*

*Arrianus de Rebus Gestis Alexandri Magni, Græce & Latine.*

*Callima-*

*Callimachi Hymni & Epigrammata, cum Moschi, ac Bionis Idyllijs, totidem versibus Latine ab eo reddita, & scholijs illustrata.*

*Constantinus Porphyrogeneta de Thematibus Orientalibus, Græce ac Latine, cum Notis.*

*Agathias Græc. ac Lat. cum Notis.*

*Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis, de primatu Pontificis Romani, & de Purgatorio, Græce ac Latine.*

*Iornandes de rebus Geticis, cum Notis.*

*De lingua Getica, sive Gothica, Commentarius, cum Characteribus ei linguæ proprijs.*

*Glossaria Latino-Græca, & Græco-Latina, cum Notis.*

*Apuleij opera omnia, post Colvianam editionem innumeris locis correcta.*

*Aristoteles de Mundo, Græce ac Latine, cum Apuleij & aliorum versionibus accurate collatus, & innumeris locis castigatus. Cui adjecit Gregorij Cyprij Archiepiscopi Constantinopolitani Encomium maris.*

## Necdum edita.

*Tatiani Harmonia* IV. *Euangeliorum, cum interpretatione verbali, lingua Gotica.*

*Poemata Græca & Latina, ac versa e Græcis Latine, & e Lat. Græce.*

*Proverbia Gnomica ex Hispanica lingua Latinis trimetris & dimetris ad imitationem Mimi Publiani versa.*

*Odæ tres Anacreonticæ Græcæ in Natalem Domini.*

*Emanuelis Chrysoloræ tractatus de comparatione veteris & novæ Romæ, Græce & Latine.*



IOSEPHUS IUSTUS SCALIGER
IUL.CÆSARIS A BURDEN E.

# IOSEPHVS SCALIGER.



Ic ille eſt, quem in primâ adhuc ætate tantopere admiratus vir in literis maximus, Hadrianus Turnebus, vt *portentoſi ingenij juvenem* appellare non dubitaret. Id in ſuâ quâdam ad Ioannem Meurſium epiſtolâ, anno cIↃ. IↃ. C. I. ſcriptâ teſtatur Iacobus Gillotus, Chriſtianiſsimi Galliarum Regis in Senatu Pariſienſi conſiliarius, cum inter cætera ſic inquit: *Nec te nec Grotium ſileo, portentoſi juvenes ingenij; quod de Scaligero tunc juvene magnum Turnebum dicentem juvenis audivi.* Et hoc tam magnum naturæ miraculum Aginnum in Nitiobrigibus dedit anno cIↃ.IↃ.XL. Annos natus XI. cum Leonardo & Iano Conſtantio fratribus Burdegalam à patre miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedit. Inde peſtilentiâ exactus ad patrem ſe recepit, qui, quamdiu apud eum fuit, quotitdiè declamatiunculam ab eo exigebat, facto argumenti arbitrio, quod ex aliquâ hiſtoria peteret. Hâc exercitatione, & vſu ſtili quotidiano, Latinè ſcribere aſſuevit. Quia verò verſus Patris excipiebat, ex hac neceſsitate ali-

quem poëtices ſaporem imbibit. Itaq; & verſu, & proſa oratione Patri pro captu ætatis ita ſatisfaciebet, ut aliquando ſeductum rogaret, unde ſententias illas & colores depromeret. Sed admirationem apud amicos, idem diſsimulare non potuit Tragœdiæ Oedipi, primæ ingenij vernãtis fœturæ. In quam, quantum ætas illa patiebatur, omnia poëtices ornamenta, & verborum delectum impenderat. Anno ætatis XXI, cum jam vita functus Pater eſſet, Lutetiam petijt, literarum Græcarum amore; quas qui neſcirent, omnia neſcire putabat. Poſtquam menſes duos operam Hadriano Turnebo ediſſet, quia deſtitutus alijs præſidijs in doctiſsimo ejus auditorio operam omnem ludebat, in muſeum ſe abdidit, & in illo piſtrino incluſus, quod ex alijs non potuerat, ſe magiſtro diſcere experiebatur. Igitur vix delibatis conjugationibus Græcis, Homerum cum interpretatione arreptũ XXI. diebus totum didicit, poëticæ vero dialecti veſtigijs inſiſtens, Grammaticam ſibi ipſe formavit; neque ullam aliam didicit, quam quæ ipſi ex analogia verborum Homericorum obſervata fuit. Reliquos verò poëtas Græcos omnes intra IV. menſes devoravit. Neque ullam Oratorem aut Hiſtoricum prius attigit, quàm poëtas omnes teneret. Biennium

nium cõtinuum Græcis literis impenderat, cum ad Hebræas ecce impetus animi rapit. Et quamvis ne ullam quidem literulam in ea lingua nosſet, tamen ad eam diſcendam nullo alio magiſtro quam ſe ipſo vſus eſt. Multa verſu in vtroque ſermone luſit, quæ edere odium ambitionis, à qua ſemper alienus fuit, prohibuit. Multa in Auctores vtriuſque linguæ obſervavit; è quibus variarum, Antiquarum Lectionum, Miſcellaneorum, & aliorum ejuſmodi libros concinnare potuiſſet: ſed hæc talia ab alijs edi, quàm à ſe maluit. Vt tamen ipſi vigiliarũ ſuarũ cõſtaret ratio, interpretandos & emaculandos autores integros ſuſcepit. Hoc enim ſine ulla ambitione rectè ſe facere poſſe judicavit. Anno cIↃ. IↃ. LXIII. in contubernium ſe dedit Ludovici Caſtanei Rupipozæi. exque illo tempore vix ullum à peregrinationibus vacuum tempus habuit, donec in Academia Batava quieti ſedem invenit, ad quam venit Curatorũ vocatu anno cIↃ. IↃ. XCIII. Hanc cum per annos XVI nominis ſui fama ſcriptiſque illic editis illuſtraſſet, ex hydrope obijt, anno cIↃ. IↃ. C. IX. ætatis ſuæ LXIX. Mortuo monumentum é marmore poſuerunt Curatores Academiæ, cum hac Inſcriptione.

DEO
OPT. MAX.
SACRVM
ET
ÆTERNÆ. MEMORIÆ. IOSEPHI. IVSTI.
SCALIGERI. IVL. CÆS. A BVRDEN. F.
PRINCIPVM.VERONENSIVM.NEPOTIS
VIRI. QVI. INVICTO. ANIMO. VNA.
CVM. PARENTE. HEROE. MAXIMO.
CONTRA.FORTVNA.ADSVRGENS.AC.
IVS. SVVM. SIBI. PERSEQVENS. IMPE-
RIVM. MAIORIBVS. EREPTVM. INGE-
NIO. EXCELSO. LABORE. INDEFESSO
ERVDITIONE. INVSITATA. IN. LITE-
RARIA. REP. QVASI. FATALITER. RE-
CVPERAVIT. SED. PRÆSERTIM. EIVS-
DEM. MODESTIÆ. QVOD. SIBI. FIERI.
VETVIT. IIDEM. QVI. IN. VRBEM. HANC
VOCARVNT. CVRATORES. ACADE-
MIÆ. AC. VRB. COSS. HOC. IN. LOCO
MONVMENTVM. P. E. L. C.

IPSE. SIBI. ÆTERNVM. IN. ANIMIS.
HOMINVM. RELIQVIT.

Scripta

## Scripta iſta ſunt.

*Opus De emendatione temporis.*

*Chronicon Euſebij, cum Notis & Caſtigationibus: & Iſagogicorum Canonum libris III.*

*Catullus, Tibullus, Propertius, cum Caſtigationibus.*

*Varro cum Conjectaneis.*

*Auſonius cum duobus Auſonianarum Lectionum libris.*

*Feſtus cum Caſtigationibus.*

*Hippocratis libellus De oſsibus, cum Notis.*

*Sophoclis Ajax Lorarius charactere veteri converſus.*

*Stromateus verſuum proverbialium vere aureus.*

*Martialis Selectorum Epigrammatum verſiones Græcæ*

*Dionyſium Catonem cũ Notis & Græca verſione amici Lutetiæ.*

*Iãbos ejus morales edidit Daniel Heinſius: item Notas in Senecam. qui & opera ejus omnia brevi, volente Deo, ex auctoris recenſione editurus eſt.*

*Opuſcula ejus Poſthuma edidit Iſaacus Caſaubonus Lutetiæ.*

*Librum de Aequinoctijs edidit Ioannes Rutgerſius ibidem.*

*Maniium cum Commentarijs.*

Nullus vero extat auctor, ſive Græcus ſive Latinus, in quem non plurima notarat, quæ partim in librorum ſuorum marginibus, qui in auctione ſunt diſtracti; partim in Gallia in amicorum libris notaverat. Partim vero ex legato ejus Bibliotheca publica Lugduno-Batava adhuc ſervat.




PAV-

# PAVLVS MERVLA.



HVnc Dordraco debemus, primarię Hollandiæ vrbi, virum, in quo certarét, probitas, candor, humanitas, modeſtia, & doctrina. Adoleſcés jactis præclaræ eruditionis fundamentis in Academia patria, peregrinandi ſtudio ductus in Galliam ſe contulit, ubi cum Aurelijs tum Genevæ octo totos annos literarum & Iuris civilis ſtudio impendit. Inde Italiam adijt, cujus præcipua loca & Academias cum fructu perluſtravit. Hinc in Germaniam reverſus, & Argentinæ diu commoratus, peragratâ mox reliquâ Germaniâ in Angliam ſe tranſtulit, ut illam quoque videret inſularum maximam. In patriam redux ad forum animum applicuit, & cauſas agendas. Sed cum diſceſsiſſet Lipſius, ille accerſitus vacantem Hiſtoriarum Profeſsionem publicâ auctoritate ſuſcepit, in eâque exactis xv. annis cum neglectâ valetudine ſtudia nimis attentè tractaret, fractis corporis viribus, dum reſtaurare eas parat, uxore comite iter Roſtochium verſus capeſsit, amicos & affines illic ſalutaturus. Illic bimeſtri elapſo, firmata au-

ta nõnihil valetudine, dum redire cogitat, morbo impeditus acuto, ſanguinis atræque bilis vomitu, & dejectionibus ſpontaneis cum febre continua, denaſcitur XIX. Iulij cIɔ. Iɔ. C. VII. cum vixiſſet XLIX. Sepulto hæc inſcriptio poſita.

TIBI
PAVLE MERVLA
QVI
DVM. DEVS. TE. NOBIS. SVPERSTITEM. VOLEBAT.
OB. SINGVLAREM. TVAM. ERVDITIONEM.
MAGNAQVE. ET. MVLTA. IN. OMNES BENEFICIA.
DOCTISSIMORVM. AVDIISTI. HVMANISSIMVS.
HVMANISSIMORVM. DOCTISSIMVS.
HOC. QVALECVNQVE. MONVMENTVM.
MOERENS. BENE. MERITO
F. P. Q.
P. D. I. F. EX. A. D. VIII. KAL. AVG.
cIɔ Iɔ C XIII.
AVE. ET. SALVE. VIR. PAVCIS. COMPARANDE.
S. T. T. L.


Edita

## Edita ab eo.

*Praxis Civilis Provincialis Curiæ apud Batavos.*
*Ennij Fragmẽta cum Cõmentarijs.*
*Eutropius.*
*Cosmographiæ General. lib III. Specialis IV.*
*Cynegetica idiom. Belgico.*
*Vita Erasmi & Epistolæ aliquot nondum editæ.*
*Vita Francisci Iunij.*
*Angeli Merulæ Historia Tragica.*
*Historia Ecclesiastica & Politica mille ducentorum annorum. Reliquos quadringentos adtexit Gulielmus Merula F.*
*Willeramus Abbas in Cantica Canticorum cum Commentarijs.*

### Edenda restant.

*Historia Belgica.*
*Historia Gelrica.*
*Synchronismus earum rerum quæ proximè elapso seculo in Orbe Christiano contigerunt.*
*Historia sive Fasti Rerum a Romanis gestarum.*
*Fasti Dordraceni.*
*Descriptio Romæ.*
*Descriptio Dordraci.*
*Descriptio Bataviæ, idiom. Belg.*
*Belgica Vnita, idiom. Gallico.*
*Status Belgiæ idiom. Belg.*
*Discursus Politicus in Donationem sive Cessionem qua Philippus Rex Hisp. &c. in Infantem Isabellam Ius transcribit Provinciarum Belgicarum Comitatuumq; Burgundiæ Carolesij. Anno 1598.*
*Cosmographiæ pars altera.*
*Praxis Latina.*
*Praxis Criminalis Provincialis Curiæ apud Batavos.*
*Commentarij in IV. Institutionum Iustiniani lib.*
*Tractatus de Dotibus.*
*Antinomiæ Iuris.*
*De linguis Varijs.*
*Diatriba de Lingua Gallicæ antiquitate, imitatione, & dialectis.*
*Nomenclator Cynegeticus.*
*Fragmenta Vett. Poetarum cum Annotationibus.*
*Tabulæ antiquitatum Romanarum*
*Historia de DIs Vett.*
*Historia Magistatuum Romanorum.*
*De Comitijs Rom.*
*De Legibus Rom.*
*Do Sacrificiorum Ritibus apud Vett. Romanos.*
*De Sacerdotibus Rom.*
*De Diebus Festis apud Rom.*
*Lectiones in Iulium & Augustum Suetonij.*
*Lectiones in I. & II. libb. Flori.*
*Lectiones in Taciti Germaniam.*
*Chronologiæ in Lucanum, Cæsarem de bello Civili, & Dionysium Halicarnasseum.*
*Orationes quædam, & Poemata.*




PE-

# PETRVS MOLINEVS.


ATVS patre Ioachimo Molineo Paſtore Eccleſiæ Aurelianenſis, anno cIↃ. IↃ. LXVIII. VIII. Id. Octob. in agro Vexinate, qui eſt Franciæ & Normanniæ confinium. Vnde paulo poſt in Sueſſonas tranſlatus eſt. Strage Bartholomæa latè ſæviente cum fratribus admodum pueris ad necem quæſitus, ancillę induſtria ſervatus eſt. Sedani prima literarum ſtipendia meruit. Inde Lutetiam miſſus ſtudiorum cauſa, civilibus tempeſtatibus in Angliam pulſus eſt: ubi uſus eſt conſuetudine doctiſsimorum virorum Wittakeri & Reinoldi. vt verò audivit Franciſcum Iunium accitum eſſe Lugdunum Batavorum ad Profeſsionem Theologicam, eò iter intendit, favente quidem eventu, ſed Æolo ac Neptuno iratis. Nam in præſentiſsimum mortis diſcrimen a tempeſtatis violentia, dum in Hollandiam trajicit, adductus eſt. Inde Leidam venit, ilicoq; pulcherrimo Poëmatio, cui titulum VOTIVÆ TABVLÆ fecit, Deo Servatori gratias egit. Experientiaque comprobavit omne ſolum forti patriam eſſe. Nam placuit

cuit ſtatim viri ingenium primatibus, & honeſtam qua ipſi gratularentur condicionem quærebant. Sed nulla alia quàm in Schola Triviali ſe offerebat. Docet igitur ibi loco poſt Rectorem primo Græcos Latinoſq; poëtas per menſes aliquot. Sed adeò nobile ac eruditionis cote ſubactum ingenium, non diu in privatæ ſcholæ tenebris fortuna deliteſcere permiſit. Moritur IACOBVS RAMSÆVS clariſsimus in Academia Leidenſi Profeſſor Philoſophiæ, eíque pro ſuggeſtu Organum Ariſtotelis Græcum docẽs, Molineus ſubrogatur, anno ætatis XXIV. Quanto tunc vividi ingenij acumine, & ſubtiliſsimo in intimam veritatẽ penetrãte judicio publicas diſputationes ſuſtinuerit: & Ariſtotelis libros φυσικῆς ἀκροάσεως, De Cœlo, De Generatione & Corruptione, De Metæoris, De Anima, publico ex pulpito docuerit, iuncunda cum recordatione meminere ejus privatim & publicè auditores perpetui, *Apollonius Scottus* Supremæ Curiæ Hollandiæ & Zelandiæ Conſiliarius, *Jacobus Broeckhovius* Senator Reipublice Leidenſis, *Iuſtus Suanenburgius* Secretarius Reipublice Leidenſis, *Simon Scottus* Reipub. Middelburgẽſis Secretarius, *Ottho Heurnius* in Acad. Leidenſi Medicinæ Profeſſor Ordinarius. *Henricus Delmanhorſtius* Reipub.

Leiden-

Leidensis Medicus Ordinarius, alijque infiniti. Dum publica Professione fungitur privatim *Elementa Logica* auditoribus suis prælegit, quæ magna cum admiratione a viris doctis lecta, ea ut publici juris faceret quò pluribus prodesset persuasere. Magnatibus & Principibus dum hac statione fungitur, gratissimus. Sexto anno Professionis crebris sollicitationibus Ecclesiæ Parisiensis in Galliam revocatus Lutetiam venit, ibique Sacro Ministerio initiatus est. Nec multo post a Catharina Burbonia, Henrici IV. Galliarum Regis sorore, quæ filio Ducis Lotharingiæ nupserat, in Lotharingiam ductus est. vbi pientissima Princeps assiduè tentata soceri & mariti præcibus, & monachorum technis, qui ipsam a vera fide avertere summa ope nitebantur, Molinei in asserenda veritate experta est industriam. Ex eo charus Illustrissimę fœminę & inter domesticos habitus. Qua rebus humanis exempta, Lutetiæ mansit, ubi adversariorum circumlatrantium, & subinde in arenam provocantium acumen improbum sæpè retudit. Ideò insidijs appetitus capitis discrimen non semel adijt. Vocatus a D. Plessæo Mornæo & a Synodo Andegavensi Salmurium ad sustinendam Professionem Theologicam, Synodi authoritate & Ecclesię Parisiensis

Intercesſione prohibitus eſt. Quin flagitantibus illuſtriſsimis ac Potentiſsimis Hollandiæ Ordinibus, & CELCISSIMO PRINCIPE MAVRITIO NASSOVIO Confœderatarum Belgij Provinciarum Gubernatore, Nobiliſsimiſque ac Ampliſsimis Academiæ Leidenſis Curatoribus & urbis Conſulibus obnixè hortantibus ad capeſcendam in Academia ſua Profeſsionem Theologicam, certus eis obſequi, clamoribus ſuæ Eccleſiæ ſtudioq́ue parentum ægrè retentus eſt.

## Edidit.

CVm Profeſſione in Academia Leidenſi fungeretur,

*Elementa Logica.*

*Meditationem in Pſa.* CXXIII.

*Adverſus Iacobum Perronium Epiſcopum Eburonicenſem.*

Lutetiæ in vita occupatiſſima ſcripſit tamen Latinè,

*De Peregrinatione & Altaribus.*

Gallicè. *In Purgatorium & Indulgentias ac Satisfactiones librũ, cui titulus eſt,* AQVÆ SILOE.

*Apologiam Cœnæ Domini.*

*Anatomen errorum Cuſſetelli.*

*Defenſionem Fidei Catholicæ pro Sereniſſimo Majoris Britanniæ Rege Iacobo.* Cui noviſſime addidit, DE IMPLETIONE PROPHETIARVM, ubi pãduntur arcana Apocalypſeos.

*Heraclitum ſeu Meditationes de vanitate & miſeria vitæ huma-*

*humanæ.*

*Theophilum, seu De amore Dei.*

*Responsum ad* XXXII. *quæsita Petri Cottoni, una cũ* LXIV. *quæstionibus Cottono regestis.*


*Acta disputationis cum Petro Caxerio*, excepta ab amanuensibus ex ore disputantium.

DE MONARCHIA TEMPORALI PONTIFICIS ROMANI.

Et alia minutula quæ referre longum esset.

Daturus cum bono Deo alia plura si quando se ex isto vitæ actuosæ æstu in portum subducere, & aliquid otij nancisci potuerit.






DANIEL

# DANIEL HEINSIVS.

DANIEL HEINSIVS, Nicolao Heinſio, Nicolai, viri ab eruditone varia in patria celeberrimi, conſulis Gerardimontani filio, & Eliſabetha Navegeria, Gandavi anno cIↄ. Iↄ. LXXXII. natus, vix in patria vixit, Fortunæ, ut ſubinde loqui de ſe ſolet, privignus. Trimulo vix major quippe, Veriam a matre cum nutrice ablegatus eſt, ut materteras illius, nobiliſsimas matronas, Catharinam & Eliſabetham Houwelias, quæ calamitate temporis adductæ eo ſe contulerant, puerilibus blanditijs in exilio oblectaret: paulo poſt in Britãniam a parentibus deductus, Doveræ & Londini cum hæſiſſet menſes aliquot, Delphos Batavorum primo, mox Ryſwyckum (Hagæ vicinus vicus eſt) eoſdem eſt ſecutus: vbi avunculum recenter Ordinibus aſcitum, cum matertera, germana matris ſorore, magni animi fœmina invenit. quæ poſt occupatam ab hoſte vrbem, cum immani pecunia multata eſſet, quod maritus amplæ dignitatis vir, ſummus rerum criminalium per Flandriam Præfectus, Auriaco hæſiſ-

 ſet,

ſet, & cum eo in Zelandiam elapſus eſſet, cum vxore Præſidis, ruſtica veſte, quam in vijs aſſumpſerat, per media hoſtis præſidia, ad Divi Philippi munimentum, quod in Flandriæ finibus Scaldi imminet, pervenit, ubi navem nacta cōmode, in eam ſe conjecit. publico accenſo, qui ad eam rem miſſus a marito venerat, hoſti qui in ripa aſtabat, ignaviam eminus per geſtus exprobrante, & militari laſcivia crudelitatem ſubinde ingerente. Pater ea fuit prudentia, ut cum paulo ante deditionem Gandavenſem a Brugenſibus invitaretur, qui præclarum illi in vrbe ſua munus Syndici offerrent, ipſe autem propter fatalem nonnullorum in Rep. intemperiem, miram rerum omnium præſagiret converſionem, honorem oblatum laudaret. cæterum omni functione publica ſe abdicaret: Eſpinoiæ principis bonorum, tum moleſta ſatis cura, & negotijs forenſibus contentus. Donec patriæ ruenti ſe ſubduxit; ſolo amore pietatis. quam ex Deſiderij Eraſmi lucubrationibus perceperat, quas perpetuo legebat. multis conſilium illius admirantibus, quem in partibus fuiſſe, nemo prope gnarus eſſet. Seditiones quippe & plebeiam inſaniam, ſed præcipue ſuperiorum contemptum, ne cum ſpecioſo quidem prætextu admittebat. Quod ad extre-

mum uſque diem filio inculcabat. Religionem enim mantellum eſſe ajebat, quæ cuicunque improbitati induceres, eam facile cælaret. In maximis patriæ turbis, crebro verba iſta vſurpabat, Audi, Vide, Tace, Abſtine. Quæ in Lyceſtriana quoque factione ſępe repetebat. cum nonnullos ea implicatos videret, & pręſertim pietaté profeſſos. Vnde, vulgo omnia in partem alteram interpretante, primum timidus, mox cum ad ſucceſſum eſſet ventum, qui non raro eſt cruentus, callidus appellabatur. Videbat enim principes in aliena Rep. primũ voluntates licitari civium, mox ſanguinem: ſecuros vtro res cadat. cum morituris quippe, niſi ſi ſuccedat, ſcire ſe paciſci. Eos ergo aut prodeſſe ſibi, aut moleſtos amplius non eſſe. Religionem vero illis ludum, plebi autem eſcam eſſe. Ea animi prudentia, functiones aliquot poſtea ſuſcepit. Intelligebat enim, neminem ut vellet in exilio verſari, cujus maximum incommodum ajebat eſſe, quod privatus non viveret. Ryſwici aliquamdiu amore ruris & commoditate loci captus cum hęſiſſet, Hagam cum affine & filio ſe contulit. In qua vrbe puer prima literarum elementa, a parente primum, cui poſt amiſſas opes & forenſes occupationes, unũ hoc ſupererat ſolátium, mox ab anu

ab anu quadam, quę mercede ludum aperuerat, edoctus est. Præstante interim omnia optimo parente, quę a pręceptore expectari poterant. Nam & manum pueri jam scriptitantis ducebat, & nonnullas voces Gallicas quas disceret quotidie pręibat. & cum filij indolem apprime haberet perspectam, novo quotidie præmiolo invitabat: delinquentem autem solo vultu in officio continebat. Paulo post in Zelandiam cum parentibus migravit. Vbi a doctissimis præceptoribus, Iohanne Belosio inter alios, viro innocētissimo & supra fidem erudito, Nicolao Olivario, Petro Montano, & Tobia Schemeringio, primis literarum & philosophiæ, præter Logicam quam dicunt, Moralis quoque & quæ de Natura agit, principijs imbutus est. Verum ut nihil cum majore animi molestia quam Grammaticorũ canones hauriret. a quibus occulto quodam naturæ instinctu abhorrebat. Nam ad Gręcam eruditionem, quanta quidem ibi solet percipi, nullis præceptorum monitis compelli poterat, cum ætatis anno nono, priusquam ullam syllabarum percepisset rationē, quam cum maximo labore postea perdidicit, versus scribillaret, & occasione qualibet effunderet; supra quam credibile, laboris fugitans, & in lusum toto ani-

mo intentus. Quæ res cum non vſquequaque præceptoribus placeret, qui libenter tamen connivebant, quicquid delinquebat, verſibus plerunque juſſus expiabat, qui de facili proveniebãt. Anno admodum ætatis decimo & quarto, Franekeram a parente addiſcendi juris cauſa miſſus eſt. Vbi Henricum Schotanum bis quotidie docentem audiebat. ita tamen vt majorem Græcis literis, quarum ineffabili tum ſtudio efferebatur, curam impenderet. quas breviſsimo tempore arripuit. Adeo vt cum Muſæi De amoribus Leandri & Heronis poematium, manu ſua deſcripſiſſet, & ex eo aliquem poetici ſermonis percepiſſet guſtum, paucis poſt menſibus hoc ipſum alijs prælegeret. Poſtquam ibi ſeſquiannum egiſſet, Lugdunum miſſus eſt: vbi annum & amplius lectiones juris & in Græcis Bonaventuræ Vulcanij, viri clariſsimi, aliorum item audivit. Philoſophiæ ſupra cætera omnia addiſcendæ cupidus, ſed quæ ex Platone & Ariſtotele, ac eorum interpretibus, ſimul cum facundia hauritur. Clã parente quidem hæc omnia. qui diverſa longe a profectu ejus quem jam foro deſtinarat, ſpe & animo voluebat. quare domum revocatus, deſertor prope ſtudiorum factus eſt. Nam & a foro abhorebat, ſacris ſtudijs addictior, & autores

Græcos Latinoſque omnes, maximo ardore mẽtis ac cupiditate, cœperat percurrere. In hac vrbe primum a Ioſepho Scaligero & Philippo Marnixio, primis ſui ſæculi hominibus dilectus eſt. Et ab illo quidem tam conſtanter, vt cum alias non ſemel, tum ſub ipſum vitæ exitum, neminem ſe, dum vixiſſet, pari amore proſecutum eſſe affirmaret. quem & ipſe ſupra omnes eſt veneratus. neque parum debere ſemper eſt profeſſus. Cum raro dies eſſet, quin divinum ſenem accederet, & quæcunque ſcriberet, cujus ea cunque eſſent generis, maxima cum voluptate audienti prælegeret. Sæpe audire ex eo memini, ſolo conſpectu & oratione maximi herois, ita nonnunquam inflammatum fuiſſe, vt non raro noctes totas ex profectus deſperatione inſomnes traduceret, aut de commutanda vitæ ratione cogitaret. idemque illi eveniſſe, cum præclara aliorum ſcripta evolueret. Neque minus & a Iano Douſa amatus eſt: qui quotieſcunque, ſive Academiæ cauſa, ſive ſua, Lugdunum Haga ſe conferret, ultro ſæpe & privatum & adoleſcentem viſitabat, ſępe etiam Nordwicum abducebat, vbi dies aliquot plerunque in literis cum voluptate incredibili ponebant. Deperibat enim adoleſcentem innocentiſsimus ſenex, ſenem viciſsim colebat

lebat adolescens. Cujus rei testes esse possunt, sanctissimi & nobilissimi herois liberi superstites. Vtrique rebus humanis exempto, astricto & soluto sermone parentavit. Iuvenis publice docere cœpit: anno admodum supra decimum nono. cum Latinos primo, mox autem Grecos exponeret autores. Postea Politica professione donatus est. nunc Historicam tuetur. Post Doussam filium & Paulum Merulam, tertius publice a Curatoribus bibliothece prefectus est.

## Hęc autem edidit.

*Silium Italicum, cum Crepundiis. quæ postea indigna judicavit quæ tolleret.*

*Auriacum Tragœdiam, quæ in Curia Leidensi publice exhibita fuit.*

*Poemata. in quibus diuersa & diuersi generis. quæ sæpe edita.*

*Maximum Tyrium philosophum, cum Latina interpretatione & Notis.*

*Aristotelis librum De poetica, cum interpretatione & Notis.*

*Librum De Constitutione secundum Aristotelem Tragœdiæ.*

*Paraphrasten antiquissimum in Ethica Aristotelis, nunquam antea editum, cum interpretatione sua.*

*Q. Horatij Flacci opera. Quibus librum de Satyra; in quo inter alia De affinitate ejus cum Græcorum Satyris, materia, forma, instituto poetæ & aliorũ cum diuersis iisq; præcipuis ætatis hujus viris prolixe disputatur, & Notas addidit.*

*Theocritum & Græcos interpretes, cum Theocriticarum Scholarum in eundem Libro. qui cum Iosephi Scaligeri Notis & Isaaci Casauboni Lectionibus est editus.*

*Hesiodum & ejus Interpretes, cum Introductione sua in Opera & Dies, in qua antiqua ejus libri philosophia exponitur. Item Notas in eundem.*

*Peplum Græcorum Epigrammatum*

*tum in quo omnes celebriores Græciæ Philosophi, encomia eorũ, vita & opiniones recensentur aut exponuntur.*

*Senecæ Tragœdias, cum suis & Iosephi Scaligeri Notis.*

*Theophrasti Eresij opera, infinitis locis a se emendata, cum interpretatione Gazæ, quam recensuit passim.*

*Orationum volumen. Item*

*Orationes aliquos seorsim editas. quarum prima est De studio Politico, & Aristotelis Politicis, cum Præfatione ad eadem, publice habita cum secundum Politicorum inchoaret. Secunda, quam habuit, cũ Græcarum literarum Professionẽ collegæ suo traderet. Tertia, cum Libellum de Magistratibus Romanis inchoaret.*

*Item Dissertatio de libro Senecæ, qui Apocolocynthosis inscribitur.*

*Homiliam in Natalem Domini:*

*Item Homiliam in cruentum Iesu Christi sacrificium, siue De passione Domini, quæ aliquoties in vernaculum, Gallicum item sermonem sunt conuersæ.*

*Orationem de Historiæ præstantia, cum ad illam professionẽ esset vocatus.*

*Clementis Alexandrini Græci Theologi opera recensuit: & Latinam interpretationem ad Græci codicis fidem passim interpolavit. qui nunc editur.*

*Sunt qui illi Satyras duas Menippeas*, Hercules Tuam Fidem, *&* Virgulam divinam *asscribunt. quas aduersarius Iosepho Scaligero tribuit.*

*Circumferuntur & diuersa Poematia vernacula, quæ illi attribuuntur, sed quæ autor hactenus non edidit pro suis.*

*Nunc Platonicas Dissertationes, & Aristarchum, siue libros De disciplinis veterum, prolixum opus, meditatur, & in octo Politicorum libros Paraphrasin.*

*Themistij orationes quasdam ante non editas publicavit.*

Ex his pleraque aliquoties ab autore aucta, emẽdata, recensita, & de novo edita sunt.

DOMI-


DOMINICUS BAUDIUS IC &
HISTORIARUM PROFESSOR

# DOMINICVS BAVDIVS.



NATVS est Insulis Flandrorum VI. Eid. Aprileis cIↄ. Iↄ. LXI. Pater ei fuit cognominis, Mater Maria Hyems, par lectissimum conjugum, & inter rara fidei exempla numerãdum. Tirocinia studiorum egit Aquisgrani, quo pater cum familia profugerat ob sœvitiam Ducis Albani. Patrem ibidem amisit quo anno innita est pacificatio Gandavensis. Paulo post ejus obitum missus est Lugdunum Batavorum, ut illic pars fieret nascentis Academiæ. Ibi per VIII menses commoratus rediit Gandavum, quo se mater usa beneficio pacis receperat, inde profectus est Genevam, ubi per susquialterum annum Theologiæ sacris operatus est, & sæpius publice disputavit proposuitque sub præsidio Theodori Bezæ, Antonij Faij, & Lamberti Danæi. Inde Gandavum reversus cIↄ. Iↄ. LXXXIII. sub eodem Danæo theses Theologicas asseruit corã frequenti hominum conventu. Postea contulit se Lugdunum Batavorum, ubi quum per menses XV. assiduam Iuri operam navasset titulum Doctoris consecutus

sub

ſub auſpicio Hugonis Donelli pridie Non. Iunias cIↄ. Iↄ. LXXXV. Sub finem ejus menſes acceſſit numero comitum ſplendidiſsimæ legationis, quæ tunc ab illuſtriſsimis Ordinibus miſſa eſt ad reginam Elizabetham. Illic innotuit multis a fama vel dignitate claris, ſed uni inſtar omnium maxime charus fuit Philippo Sidneo, cujus morte fecit jacturam ingentis patroni. Anno cIↄ. Iↄ. LXXXVII. Nonis Ian. adlectus eſt Hagæ comitis in ordinem Advocatorum. Poſtea per annos decem continuos vixit in Gallia, nulli bono inviſus, & gratus acceptuſque primarijs regni viris, quorum nomina conſecrati ſunt æternitati. Anno cIↄ. Iↄ. XCI. renuntiatus eſt cauſarum patronus in ſuprema curia Parlamenti à principe Senatus Achille Harlæo, cum cujus unico filio Chriſtophoro, quem Chriſtianiſsimus rex Henricus Magnus honore Legati ordinarij decorarat, profectus eſt in Angliam. Inde pertæſus deſultoriam vitam fixit ſedē Lugduni Batavorum, & conſpirantibus ſuffragijs Curatorum Academiæ, Conſulumque ejus vrbis, deſignatus eſt Eloquentiæ profeſſor, cIↄ. Iↄ. CII. VI. Eid Majas. Poſt obitum verò Pauli Merulæ cœpit explicare Cornelium Tacitum Auguſtæ hiſtoriæ principem. Docuit etiam conjunctim publice jus Ro-

 manum,

manum, ijſdem ultro liberaliterque invitantibus ad eam operam ſtudioſæ juventuti impartiendam; nec ordine motus eſt, quaſi neſcius exercendi, ſed honeſta miſsione donatus ſtipendijs nullam partem imminutus, ut onere ſublevaretur. Anno cIↄ. Iↄ. cxi. ab illuſtriſsimo potentiſsimorum Ordinum conſeſſu, ſcribendæ hiſtoriæ munus pro parte injunctum eſt. Anno cIↄ. Iↄ. c.xiii, Auguſti iii, circa veſperiem febre correptus eſt, quæ delirio ac vigilijs continuis miſerè ipſum attrivit, donec omni robore exutus mortalitatem explevit xxii. Auguſti, circa horam pomeridianam tertiam.

## Edidit.

*De Indicijs Belli Belgici libros tres.*

*Poemata.*

*Monita civilis ſapientiæ verſus jambicis.*

*Oratio ad Studioſos Leidenſes ob cædem Commilitionis tumultuantes.*


*Oratio in Obitum Ioſephi Iuſti Scaligeri.*

*Et alia nonnulla opuſcula, tum ſoluto tum aſtricto ſermone.*

GIL-


GILBERTVS IACCHÆVS
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

# GILBERTVS IACCHÆVS.



Oc prę̨clarum ſanè ingenium
Abrædonia nobis dedit, non
incelebre Britanniæ ſepten-
trionalis emporium, ac ſal-
monum piſcatu nobile. Patre
amiſſo mater vidua Thomæ
Cargillo erudiendum tradi-
dit, admirando juventutis inſtruendæ artifici.
Ac prima illa eruditionis rudimenta adeò avidè
eſt amplexus, ut in ipſis illis principijs præclari
fructus minimè incertam ſpem prę̨beret; quip-
pe æquales, quotquot eſſent, prę̨tergreſſus, ſum-
mo ingenij vigore præditus, intervallo non exi-
guo poſt ſe reliquit. Iactis vtriuſque linguæ fun-
damentis, ad Academiam ablegatus, Philoſo-
phiæ operam diligentem navavit, præceptore
vſus Roberto Hovę̨o, viro multò prę̨ſtantiſsi-
mo, quique nunc in Academiâ Andrę̨anâ Theo-
logiæ profeſsionem ſummâ cum nominis ſui
exiſtimatione tuetur. Ex ejus conſilio in Germa-
niam mox profectus, in Academiam Iuliam ſe
recepit, ibique viros præſtantiſsimos, Ioan-
nem Caſelium, Theodorum Adamium, Dun-
canũ Liddelium, & Cornelium Martini etiam,
cum

cum ſummâ diligentiâ audivit. Inde Herbornam cum abi ſſet, Mathiam Martinium, virum non minus ingenioſum, quàm doctum & probum, præceptorem inprimis habuit. Ibi cum per aliquod tempus ſubſtitiſſet, celebritate Academiæ hujus pellectus, quia illuſtriorum aliam nullam aut viris præclaris inſtructiorem exiſtimabat, in eam ſe contulit; nec diu commoratus fuit, quin perſpectâ ejus doctrinâ, & ingenij promptitudine, Curatores Profeſsionem Philoſophicam ei demandandam putarint, quam nunc anni ſunt complures quod cum laude ſummâ tractat. Sed cum tam pręclarum ingenium Philoſophia ſola occupare totum non poſſet, ad Medicinam illud applicuit; ſummumque in eâ Doctoris gradum eſt adeptus anno cIↃ. IↃ. C. XI. Docendo intentus hactenus quidem nihil edidit; verum editioni paratum penes ſe habet.



IOAN-


ÆTERNITATEM COGITA.
IOANNES MEURSIUS I.C. ET.
HISTORIÆ GRÆCÆ PROFESS.

IOAN-

# IOANNES MEVRSIVS.



Natvs est hic anno cIↄ. Iↄ. LXXIX. Losduni, qui pagus Hagâ uno miliari distat, celebris admirabili partu Margaretæ Hollãndicæ, quæ Comiti Hennenbergensi nupserat. Vix sexennis primis Latinæ Linguæ elementis domesticâ operâ à parente imbutus, ad reliquum literarum tirocinium septennis Hagam amandatur; ibiq; exacto quadriennio, sub Rectoribus Bernardo Beiema, & Folquero Westerwoltio, Lugdunum Batavorum transijt in disciplinam Nicolai Stochij, celebris per id tempus Scholę publicę Rectoris, sub quo duodecennis Orationes scribere cœpit. Ad Græcæ linguæ studium naturâ pronior vix tredecennis carmen Grçcum scribebat. Anno ætatis XVI in Lycophronem, obscurissimum totius Grçciæ poëtam, commentari instituit; XVII in Theocriti Idyllia, post Henricum Stephanum, Isaacum Casaubonum, & Iosephum Scaligerum, viros in literis omnibus maximos, Spicilegium scripsit. Exin ingenium ad omne literarum genus applicuit. Remotissimam Græ-

ciȩ hiſtoriam, & ſepultas pȩnè cum ipſo tempore antiquitates, eruit ac revocavit in iſtis ſtudiorum ſuorum primitijs. Mox ad Latinas literas, ordine præpoſtero, ſed quem D. Hieronymus præſcribit, magnus autem vir, Ioſephus Scaliger, eſt ſecutus; animum adjecit. & à primis Romæ cunabulis orſus, magnus illic quoque antiquitatis admirator, & cultor. idque *Curæ Plautinæ* loquuntur, & *Animadverſiones Miſcellaneæ*. Deinde à rudiore Româ ad adultam & cultiorem tranſiens, hanc quoque illuſtrandam ſibi propoſuit. Atque hujus ſui conatus teſtes dedit libros *De Funere*; &, *Luxu Romanorum*. Ad Poëtica etiam delatus plus præſtitiſſet, ſi ad naturam ſtudium quoque & curam adjeciſſet. ſed in eo genere ipſe ſe deſtituit. nam quos dedit *Jambos Morales*, *Elegias*, *Heroidum Epiſtolas*, & *Epigrammata*; ea ſemeſtris vnius opera ſunt, extraordinarium animi oblectamentum, cum totis IX annis antè paucos admodum verſus ſcripſiſſet. Inde ad Philoſophiam ſe etiam convertit, non ſcholaſticam illam, ſed maſculam; quæ generoſas mentes ad virtutem excitat. & dum inibi eſt, *De Gloriâ*, librum edit. Porrò nec Theologiam quoque intactam reliquit; atque ita *Meditationes Chriſtianas* conſcripſit in Pſalmum CXVI, & tres priores partes CXIX.

Inde

Inde in Græciam ſtudia reduxit, ſed illam ſub imperio Romano barbareſcentem, & *Gloſſarium Græcobarbarum* vulgavit; in quo collecta vocabula cIↄ. cIↄ. cIↄ. Iↄ. c. ad quæ jam alia acceſſerunt cIↄ Iↄ. ccc. iteratâ editione brevi vulganda. Pari ſtudio ad Latinam linguam ſe trãſtulit; &, quod priori illi reſponderet, *Latinobarbarum* quoque concinnavit, propediem itidem publicandum. Et gemino illo opere vtriuſq; Imperij, Orientalis pariter atque Occidentalis, barbariem non parum illuſtrabit. A Ioanne Barneveldio, viro Nobiliſsimo & Ampliſsimo, Reip. hujus Neſtore, ad erudiendos privatim filios evocatus, decennium in ejus familiâ & conſuetudine egit. & peregrè cum ijs profectus maximorum totius orbis Chriſtiani principum aulas vidit, & bibliothecas. atque ex his præclara monumenta multa, nunquam hactenus edita, depromſit. quorum partem jam reverſus publicavit; partem aliquando quoque juris publici faciet; ſi vitam, & otium Deus conceſſerit. Dum peregrinatur, anno cIↄ. Iↄ. c. VIII. Aureliani ſummo in Iuriſprudentiâ Doctoris titulo cohoneſtatus eſt. In patriam redux Academiæ celeberrimæ operam addixit; & injunctam à Curatoribus Hiſtoriæ primùm, deinde linguæ etiam Græcæ Profeſsionem

nem, moxque ab Illustriss. ac Potentiss. Ordinibus fœderatarum Belgij Provinciarum Historiæ patriæ conscribendæ partes suscepit. Scripta ab eo, atque edita, hæc sunt.

*Lycophron cum Commentario.*
*Spicilegium Theocriticum.*
*Macrobius cum brevibus Notis.*
*Criticus Arnobianus, tributus in libros* VII.
*Hypocriticus Minutianus.*
*Cato de R. R. cum Notis.*
*Curæ Plautinæ.*
*Animadvers. Miscellan. libri* IV.
*De Gloriâ, liber vnus; & Auctarium Philologicum.*
*Poëmata.*
*Panegyricus dictus Iacobo I. Britanniæ regi.*
*Meditationes Christianæ in Psalmum* CXVI. *& tres priores partes* CXIX.
*De Funere, liber singularis.*
*De Puerperio, Syntagma.*
*De Luxu Romanorum, cum Mantissâ.*
*Codinus de Originib. Constantinop. cum Notis.*
*Herodis Inscriptio, totidem versibus Latinè reddita.*
*Apuleij Apologia cum Notis.*
*Phædrus cum Animaduersionibus.*
*Glossarium Græcobarbarum.*
*Constantinus De Administr. Imperio, antea non editus, Græcè ac Latinè cum Notis.*
*Leonis Imp. Tactica, itidem anteà nisi Latinè edita, Græcè & Latinè cum Notis.*
*Hesychij Milesij opuscula, partim hactenus non edita; &*
*Bessarionis Epistola, Græcè & Latinè, cum Notis.*
*Rerum Belgicarum libri* V.

Sunt apud eum alia, ad editionem parata, aut propediem paranda.

*Palladij Historia Lausiaca, hactenus Græcè nondum edita, Græcè & Latinè, cum Notis,*
*Glossarium Latinobarbarum.*
*Codinus de Officijs aulæ Constantinop. cum versione Latinâ, ac Notis.*
*Harpocrationis Lexicon X Rhetorum, cum Animadversionibus.*
*Bibliothecæ Græcæ libri* IX. *singuli Musarum nomine inscripti.*
*Chronicon Constantinop.* ἀνέκδοτον. *cum Latinâ versione, & Notis.*
*Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi Epistolæ, necdum editæ, cũ Latinâ versione, & Notis.*

PE-



PETRUS CUNÆUS
PROFESSOR POLITICES.

# PETRVS CVNAEVS.



ATVS est anno cIↃ. IↃ. LXXXVI Flissingæ Zelandorum, patre mercatore, qui filio recēs nato intra tertium mensem migravit Middelburgũ, Zelãdorum celebre emporium, ubi mercaturam per annos XVI exercuit, obijtque anno cIↃ. IↃ. C. II. Filius natus annos XIV. Academiam Lugdunensem adijt. Ibi per diversas disciplinas, sine duce, se circumegit: & pro animi libidine, modo ad Theologiam, modo ad Iurisprudentiam, plurimum vero ad Hebræas & Græcas literas animum applicuit. Magni enim putavit, liberos impetus sequi. Et præterea, res nulla eum urgebat. Sæpe, cum studiorum illi tædium obortum esset, mercaturæ dare se decrevit: & invitabat eum privatarum rerum oportunitas. Sed forte, & casu magis, quam animi destinatione, perstitit in incepto. Postea otij sui sedem elegit amœnissimam urbium Leidam, ubi eruditissimorum hominum, qui illic sunt, familiaritate usus est. Tandem anno cIↃ. IↃ. C. XI. à Nobiliss. Academiæ Curatoribus & Vrbis Consulibus mã-

data

data illi est Latinæ linguæ primum, ac dehinc Politica professio, cujus auspicia fecit ab interpretatione Cornelij Taciti.

## Edidit,

*ANimadversionum librum in Nonni Dionysiaca, in quo errores & inscitiam illius autoris persecutus est.*

*Satyram Menippeam in sui seculi homines plerosq; inepte eruditos.*

*Item, Iuliani Cæsares à se ex Græco versos.*

*Scripsit & libros III. de Republica Iudæorum, quos nondum edidit.*

*Parat etiam Commentarios in Flavium Iosephum.*






WILE-

# VVILEBRORDVS SNELLIVS.



ILEBRORDVS SNELLIVS, R. F. natus Lugduni in Batavis, præter illa quæ partim vertendo partim commentando illuſtravit, Apollonij Pergęi libros περὶ διωρισμένης τομῆς, περὶ λόγου καὶ χωρίου ἀποτομῆς de ſectione determinata, de rationis & ſpatij deſectione ævi culpâ & vitio fugaces, ſuâ induſtriâ ſuſcitatos publicavit, quibus & quartum, jam diu perfectum, περὶ νεύσεων de lineis inclinatis propediem primâ quâque occaſione adjiciet.


THOMAS ERPENIVS LINGVÆ ARABICÆ
ET ALIARVM ORIENTALIVM PROFESSOR.

THO-


# THOMAS ERPENIVS.



ATVS est Goricomij Batavorum, Anno M. D. LXXXIV. tertio Idus Septembris. Studuit tum Leidæ, tum in Gallia & Italia: unde in patriam reversus, an. MDCXIII, à Nobilissimis Academiæ Curatoribus, Linguæ Arabicæ, & aliarum Orientalium Professor est constitutus.

## Edidit.

*ANnotationes in Lexicon Arabicum Fr. Raphelengij.*
*Grammaticam Arabicam.*
*Libellum Proverbiorum Arabicorum, à Iosepho Scaligero I. C. F. & se, versione Latina & scholijs illustratum.*
Paratque alia brevi edenda.




VIdes hîc, Spectator Candide, veram delineationem Bibliothecæ Publicæ celeberrimæ Academiæ Lugduno-Batavæ, prout in usum Reipublicæ (præcipue tamen Doctorum virorum & Studiosorum publicitùs instituta est: quæ ingenti numero variorum & insignium librorum

*Itala quos tellus, quos quondam Græcia novit*
*... doctos hic locus unus habet*

Tgeologicorum, Iuridicorum, Medicorũ, Philosophicorum, Historicorum, Mathematicorum, aliarumque scientiarum & artium, ut etiam diversarũ linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Græcæ, Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Germanicæ, Belgicæ, &c. egregie instructa est.


*est. Præter typis excusos quam plurimi etiam codices manuscripti reperiuntur; augeturq́; eorum numerus quotidie munificentiâ & liberalitate Nobilissimorum Academiæ Curatorum, & diligēti cura Bibliothecarij imprimis etiam liberalioribus donationibus & Legatis magnorum virorum, ut initio structuræ, Invictissimi Principis Arausionensium Guilhelmi Comitis de Nassau.p.m. & Reverendi viri, Doctissimique Theologi Johannis Holmanni Secundi aliorumq́; præstantium virorum, quorum nomina in perpetuam memoriam typis descripta in tabulis ibidem servantur; ut & Inclyti istius Herois illustrissimique viri Iosephi Scaligeri, qui ex hac vita migrans, multos eidem insignes libros manuscriptos idiomate Græco, Æthiopico, Persico, Armenico, &c. exaratos legavit, ut literis, sic libris propagandis æternitati nomen suum consecraret; nam ibidem armario seorsum inclusi cum insigni epigraphe in perpetuam ejus memoriam custodiuntur. Conspiciuntur præterea effigies tum Invictissimi Principis supradicti, & Mauritij de Nassau, &c. tum etiam aliorum præstantium Virorum & Professorum, quorum animi immortales in ijsdem locis loquuntur, aliaque id genus plura.*

Habes hic Spectator Candide veram delineationem Anatomiæ Celeberririmæ Academiæ Lugduno-Batavæ, quæ ibidem conspicitur more Amphiteatri Romani exstructa, Locus ille a Nobilissimis ejusdem Academiæ DD. Curatoribus sectioni corporis humani est destinatus in usum Medicinæ Studiosorũ & aliorum, quorum constitutionem corporis humani novisse interest. Cernis ita esse constructam ut sex subselliorum gradus contineat in collis morem leniter assurgẽtium horum subselliorum infimus & primus ordo vacat Professoribus, & si qui sint illustri nobilitate aut fama insignes, Secundus, assignatus Studiosis Medicinæ; Reliqui deserviunt usibus eorum, qui studio videndi discendiq; frequentes eo conveniunt




quo tẽpore Anatomia non exercetur disposita sunt apto & eleganti ordine, per singulos subselliorum gradus plurima diversorum animalium ossea cadavera (liceat ita vocare totam istam ossium compagem, quam Græci Sceleton dixere) mirabili artificio inter se connexa; tam virorum & fœminarũ manu sua vexilla insignioribus sententijs ornata tenentium, quã aliorum animalium quadrupedũ & volucrium; ut Equi, Vaccæ, Porci, Cervi, Lupi, Capræ, Aquilæ, Cygni, Mustellæ, Simiæ, Baviani Felis, Gliris Muris, Talpæ ossa. Visitur etiã præparata pellis humana, & intestinã præterea ad ipsũ Anatomiæ ingressũ in loco editiori varia instrumenta Anatomica visũtur, quæ omnia magna cũ admiratione eorũ ibi spectãtur, qui hũc locũ invisũt

*Exhibetur tibi, Lector cădide, hic vera delineatio Horti Publici inclytæ Acad. Leydensis apud Batavos, verusq; ejusdem situs, prout herbis varijs, plantis, floribusq; amænis, & versicoloribus nobis à Deo ad sanitatē conservandam clementer concessis ibidem consitus conspicitur; qui magnis Nobilissimorum DD. Curatorum sumtibus loco amœno, apto, & salubri constitutus est, in usum studiosorum, præcipue eorum, qui Medicinæ studijs operantur, quales sunt Pharmacopolæ, Chirurgi, Medicinæ candidati & Studiosi, alijq; Botanicæ scientiæ amantes. Curarunt præterea ad arcendas pluvias, & deambulationis gratia in eodem ædificari*



*...ur herbarum medicis cognoscere vires, Monstrat Apollineas Phœbus et alter opes*

*insignem porticum, in qua visuntur res haud vulgares, quarum nomina, ut & herbarum, plantarum & florum quibus consitus est hortus hic recensere nimis foret prolixum. Idem hortus multis peregrinis herbis & plantis magnâ & diligenti cura Inspectoris quotidie locupletatur & augetur; quæ omnia maximopere faciunt ad ornamentum Academiæ, & voluptatem, & admirationem eorum, qui huc spectandi causa veniunt.*


FINIS.

[illegible] 54 [illegible]


C. CLAES H.
GAEL.
C. CLAES D.
van Montfoort


MINERVA
DIOSCORIDES
THEOPHRASTES
HIPPOCRATES
GALENUS
MEDICINA


PLA
TO
ARISTOTELES
CICERO
VIRGILIUS
Op de Non
nen brugge
De Stadts Speel luyden


NEPTUNUS
NOVEM MUSÆ
APOLLO

de Hoochwert

S MATHÆUS

S.SCRIPTURA

S.LUCAS

S.IOANNES

S.MARCUS

TRIBONIANUS

ULPINIANUS

S.IULIANUS

PAPINIANUS

IUSTITIA

De Stadts Booden

C.Coolhasius

Jacob. vader Does

G Wyngaerden

De H. van Noortwyk

D. Theodo. Nieuburgius

Artus van Brederode

F. Justus Menijn

F. Arent vā Duvirde

F. vā Broeckhouē

D. vā Montfoort

P. Forestus

Wille vā Hemskerk

Willē verloo

Laurentius ab Arschot

C. van Barēvelt

S van Veen

C Aelbrecht van Raephorst

D. Gentius

Arcus triuphalis v.d. Universiteyt

Pieter oom Pietersoō

P. Pieter Jorissoon

M. Cornelius de groot

Cornelis H. vā Torenvliet

D. Gerardus Bontius

Pieter H. Wassenaer

